BREVIS DISSERTATIO

DE

RATIONE STATUS,

Et Artibus quibusdam Politicis.

AVTORE

JOHANNE CLODIO.

LONDINI,
ANNO M.DC.LVIII.

BIBLIOTHECA BODLEIANA

VIRO

NOBILISSIMO ac PERILLUSTRI

ROBERTO BOYLE,

Domino ac Mecænati

ſuo omni Obſervantiæ cultu

æternùm devenerando

Pagellas haſce

In debitæ devotionis atque obſervantiæ ſignum, cum voto gratiæ Dei, exoptatæque proſperitatis,

Humill. Offert

Johannes Clodius.

INGRESSUS.

DE Ratione Status multi multa quotidie loquuntur, & disserunt: Videmus enim, neque ad Reipublicæ clavum ac gubernacula quenquam fere sedere; imo nec in pulvere Scholastico quenquam versari, quin itidem Rationem Status allegare soleat: Ast, si rem ipsam inspicias, verborum involucris

volucris posthabitis, pauciſſimos reperis, qui acu rem tangunt; adeo ut, qui hac in re operæ aliquod pretium fecerint, vix tot ſint numero, quot ſunt

Thebarum portæ, vel divitis oſtia Nili.

Quamvis enim totos dies, hoc vel illud Jure Regnandi, ac per Rationem Status fieri dicatur; Non deſunt tamen, qui, quid Status ſit, quid Ratio Status, & Jus Regnandi, penitus ignorent. Plerique vero, pro re ſanctiſſima ac ſaluberrima, rem divinis hamaniſque legibus adverſantem & contrariam; pro-

pro caſtiſſima Virgine, ſcortum amplectuntur ſpurciſſimum: Quorum in numero *Machiavellus* eminet; qui Prudentiam Civilem, non virginem, ſed imminutam jam in Aula, ac corruptam, Mango nobiliſſimus, Floralibus proſtituit: uti loquitur *Dan. Heinſ. Orat.* 20. *de Civili Sapient.*

Nobis quoque breviter hac de Materia diſſerere, quæque ad eam, & ejus dilucidationem, facere videbuntur, in medium proferre animus eſt: Cum primis tamen, quid Ratio Status ſit, ſibique velit; quanam in re conſiſtat; & quouſque in ea utenda, ſalva noſtra conſcientia,

progredi nobis liceat, ſtudioſius non nihil inquirere lubet.

Non itaque, Scholaſticorum more, verborum hic ſectabimur apices, aut umbraticis, hinc inde accerſitis, argumentis, cumulatiſque variorum argutiis, (quibus Politico-Legiſtæ noſtri veritatem, ſeu abſtruſam eruũt, ſeu erutam potius abſtrudunt) tempus chartamque perdemus: ſed, quod res eſt, dicemus; pluſque apud nos valebit, quod eſt in rei veritate, quam quod in opinione.

Vere enim Politicorum eſt, non diſputare, ſed vivere; nec verborum corticem, ſed rerum ſectari nucleum.

Tu.

Tu prime ac ſumme Status omnis Politici Fundator, ac Rationis Dator, fave cæptis: Ut in hoc noſtro diſcurſu, de Ratione Status, ubique rectæ Rationis normam ſequamur.

A 3 SECT.

SECTIO I.

FT primo ſtatim loco, videre lubet Opiniones Virorum Illuſtrium, de Ratione Status; & quinam, hac de Materia vel ſcripſerunt, vel ſcribere potuerunt; quo, his perponderatis, eo facilius veritatem inquirere, remque ipſam ſic aggredi poſſimus. Alii enim, Rationem Status vehementer reprehendunt & vituperant; alii, ſupra modum eam laudant, ac commendant; adeo, ut obſcurum ſit, cui parti aſſentiendum: Quod uti magis ſit in propatulo, ordine eos perluſtrabimus.

Omnes

Omnes ii, quorum Opiniones hodie alicujus ſunt valoris ac momenti, vel ſunt Theologi; vel Juris Conſulti; vel Philoſophi, ſcilicet Practici: Medici enim, quatenus Medici, hæc non curant.

Quid Theologi de Ratione Status ſtatuant, cuilibet fere notum eſt. Illi enim plerumque eam, tanquam abominandam & Reipublicæ pernicioſam, ex Atheiſmo ac Tyrannide ortam, rejiciunt, damnantque: imo eos etiam, qui hanc docent, nefandos vocant Doctores.

Hac de re excipias neminem, niſi quoſdam Pontifici-

os Theologos, qui in eo nostris multo sunt æquiores: Et quidem propterea, quod illi adhuc hodie adhibeantur ad consilia, in graviſſimis etiam negotiis; adeoque sciant, quantis interdum opus sit technis, ad retinendos in officio cives pernicioſos, ac refractarios.

Noſtri vero Theologi remoti sunt ab omni Reipublicæ administratione; si non illos fortaſſis excipere velis, qui in Conſiſtoriis privatis hodieque deliberant de Matrimonialibus: Quamvis olim ad gubernandam Remp. admoti fuerint. quanto autem cum damno, tùm Reip. tùm ipſorummet etiam,

am, factum plerumque id sit, infelix ferè semper testari potest eventus. Unde jam patet, non esse mirum, quod tàm sinistrè de Ratione Status plerumque illi sentiant. Ignorant enim quantum intersit, Remp. benè administrare; imò, nunquam possunt credere, tàm esse rem periculosam, regere Remp. & versari cum hominibus versutissimis; tamque varii generis ac naturæ homines in officio contine.e, ne refragentur.

Hinc illorum rationes, quia tam iniqui sunt censores, non magnopere curandæ: In eo tamen recte sentiunt, quod illam Rationem

Status vituperent, quam nos etiam rejicimus; ſcilicet, quæ ex Atheiſmo, ac Tyrannide eſt orta.

Si jam ad Juris Conſultos progredimur, haud mitiorem ferme illorum cenſuram deprehendimus; inque iis eadem ratio militat; ulpote, cum vehementer in noſtram Rationem Status invehantur.

A tempore autem *Irnerii*, uſque ad ſecul. 15. Juris Conſulti nihil attigêre ſcriptis ſuis, quod ad Remp. nedum Rationem Status, facere videatur: Quia omnes rudes fuerunt Antiquitatis, ac Philoſophiæ Practicæ. Colebatur tunc temporis illa

Philoſophia, quæ dicitur hodie *Scholaſtica*, ejuſque cultores dicuntur *Scholaſtici*. Et horum duo tantum ſcripſerunt aliquid de Rep. inque *Ariſtotelem* commentati ſunt: Nempe *Thomas de Aquin.* & *Chryſoſtomus Javellus*. Quamvis hic tantummodo *Thomam* & *Ariſtotelem* miſcuerit; ita, ut qui habeat *Thomam* & *Ariſtotelem*, non opus habeat *Chryſoſtomo Javello*. Reliqui omnes Philoſophiam Practicam obcæcatis, tanquam inutile quid, non aſpiciebant. Si jam à Philoſophis neglecta tunc fuit Ratio alicujus Reipubl. gerendæ; multo magis ab iis id factum, quibus Philoſophia

losophia curæ non fuit.

Sub initium vero secul. 15. cum Græca & Latina lingua iterum inciperet excoli ab Italis, Gallis, aliisque; & cum restauraretur Philosophia Græca; tunc primum omnium huic rei operam dederunt, & vocabantur *Humanistæ*, *ac Philosophi Realistæ*. Adeo autem hi delectabantur literarum elegantia, ut toti in ea essent; & ita peccabant circiter in excessu, omniaque contulerunt ad illustrandum Jus Justinianeum: ex quo tamen Rationem Status petere non licet. Atque hoc modo negligebantur Philosophica à plurimis: Inter quos

quos fuerunt *Fuſtinus*, *Andreas Alciatus*, *Bembus*, & alii. Ab his ſeceſſum poſtea fecerunt Juris Conſulti Hiſpani, qui ſerius excoluerunt Philoſophiam Practicam. Galli, rurſus Italos ſecuti, perſtiterunt in ſtudio literarum. Germani videntur ea miſcuiſſe; ſed non omnes: Multi enim eorum verſabantur tantum in conſiliis, circa res privatorum; ex quorum ſcriptis pauca admodum de Ratione Status licet excerpere. Etenim, nemo accurate quicquam de Ratione Status tradere poteſt, niſi qui ipſe ſit verſatus in Rep. multarumque rerum prudentiam

dentiam ſibi acquiſiverit.

Interim multi ſunt inter Juris Conſultos, qui Rationem Status reprehendunt. Cauſam hujus rei hanc eſſe arbitror : Quod plerique aut in Judiciis verſantur & meri ſunt Judices, qui lites privatorum ſaltem decidunt; inter quos Ratio Status locum non habet, adeoque nihil de ea ſcire hi poſſunt : Aut non ſunt Judices, ſed Patroni, & Advocati, qui pari modo in negotiis tantum privatorum ſubſiſtunt : Aut ſunt Conſiliarii ac Legati; quorum itidem magna eſt differentia, magnumque diſcrimen. Quidam enim circa res privatorum occupantur :

tur : Quidam vero eliguntur in Senatum Principum intimum, in quo agitur ac deliberatur de rebus publicis. & horum jam eſſet negotium dicere de Ratione Status. Aſt, & hi rurſus differunt : Alii enim inter hos ſũt mere Empirici ; hoc eſt, quicquid norunt, uſu tantum norunt, & experientia. qui profecto non ſunt contemmendi, & poſſunt aliquid etiam dicere de Ratione Status ; quamvis cauſas ejus ignorent, ob quas ſcilicet Reſp aliqua hac, vel illa, ratione ſit regenda. & hinc ad docendum inepti ſunt, fruſtraque ab illis cauſas exſpectamus. Alii vero literis ſunt inſtructi, &

ſimul

simul experientiam habent; & hi demum sunt veri illi subtiles. nolunt autem, hæc Rationis Status arcana propalare; Etenim, quo quis est prudentior, eo minus de hisce rebus scribit.

Et, quandoquidem tot sunt discrimina, & differentiæ Juris Consultorum; hinc etiam neutiquam mirum nobis videri debet, tot tamque varias natas esse inter ipsos sententias de Ratione Status, illorumque alios eam laudare, alios contra vituperare.

Theodorus Reinking vehementer admodum in Rationem Status invehitur, quando dicit, lib. 2. de *Regim. Eccles.*

Eccleſ. & Secul. Claſſe 1. *cap* 1. eam non eſſe Rationem, ſed monſtrum ac portentum Rationis. Hunc etiam *Philichius* ſequitur, qui ſcripſit *Decades de Jure Publico*: Quorum argumentis, quid veri, quid falſi ſubſit, infra videbimus.

Longe æquius de Ratione Status ſentiunt *Bernhardus Suthold*, *Beſoldus*, *Limnæus*, *Perez*, *Zigenweida*; qui profecto eam vocarunt rem ſanctiſſimam, & conſervationi Reip. perquam utilem.

Denique, ſi ad Philoſophos devenimus, creberrimæ inter Politicos ſunt diſſenſiones

siones de Ratione Status; neque inter eos convenit, an sit res laudabilis, an vero illaudabilis. *Forstnerus*, qui scripsit *Notas Politicas ad Annal. Taciti*, ait, *Rationem Status aliud nil esse, quam usurpata Principum sophismata, flagitia dominationis, &c.* *Thomas Campanella*, qui alias acris est defensor artium occultarum in Rep. is in *suis Politicis*, *Ratio* inquit, *Status hodierna est Tyrannorum inventio, ad æquitatis similitudinem, arbitrantium se posse, pro Ratione Status, transgredi leges*, &c.

Imo,, à Satyricis etiam Scrjptoribus, vehementer

in noſtram Rationem Status tela vibrantur. *Trajanus Boccalinus in Cent. 2. Relat.* 102. fingit Principes Galliæ, Hiſpaniæ, Germaniæ, alioſque conveniſſe, librumque, de Ratione Status, Apollini in Parnaſſo obtuliſſe, & cenſuræ ejus ſubjeciſſe; Apollinem librum iſtum recepiſſe, ſuiſque Cenſoribus in Parnaſſo tradidiſſe: Hos, in prioris locum, aliam Rationis Status definitionem ſubſtituiſſe; nempe hanc: *Ratio Status eſt Jus quoddam, Principum utilitati ſerviens, divinis, humaniſque legibus contrarium.*

Johannes Barclajus, homo alias doctiſſimus, & rerum Po-

Politicarum peritissimus, sub persona *Aneroesti*, (qui fuisse creditur *Pontifex Romanus*, alias *Clemens* dictus) depingit Rationem Status, & immania Papæ istius crimina, sub Ratione Status, tegit, occultatque: *Causa*, ibi ait, *dissidii Ratio Status est*; *Varia crimina tegere, sub specie justi*, *Ratio Status est*; *Homines de Rep. optime meritos è medio tollere*, *Ratio Status est*; *Cives variis coloribus pecunia emungere, Ratio Status est*; *Humanum divinumque jus contemnere*, *Ratio Status est*. Idem fere, mutatis duntaxat verbis, *Philander a Sitwald* repetit, qui etiam vehementer Rationem

onem Status reprehendit. Quamvis autem ſcripta hæc ſint Satyrica, & ficta; multum tamen prudentiæ habent, & magni ſunt faciendа.

Aſt longe ſunt plures, qui Rationem Status laudant, eamque neceſſario in Rep. obſervandam eſſe dicunt. Ex horum numero ſunt; *Arnoldus Clapmarius*, qui libros ſcripſit elegantes de *Arcanis Rerump. Chriſtophorus Beſoldus*; *Johannes Boterus*; *Antonius Palazzus*, homo Italus, & Rerump. peritiſſimus; *Paulus de Baruta*, in *Tractatu* ſuo *de Conſiliario Status*; *Ferninandus ab Effern*; ſic Libellus iſte, qui inſcri-

inscribitur *Trutina Statuum Europæ*, cujus Autor vulgo creditur esse *Dux de Roan*. It: *Johannes Henricus Boclerus*, Professor Argentoratensis, in *Orat.* sua, quam habuit *de Ratione Status* quæ sane perelegans est. Ex professo autem Rationem Status tractavit *Ludovicus Septalius*, Patricius quidam Mediolanensis; *Hippolithus à Lapide*: Quibus addi possunt *Schluterus*; *Scipio Ammiratus*, in *Discurs.* suis, ad *Tacit.* satis doctis; & licet hic Rationem Status reprehendat, credo tamen ego, ipsum rejicere eam Rationem Status, quæ est injusta. Ex

dreæ Canonerii Commentarius *in Tacit.* Criticus tamen magis, quam Politicus: Item, *Nicolaus Blancardus*, qui in *Vellejum Patercul. Livium*, alioſque, commentatus eſt; *Franciſcus Ribatanea.* Princeps autem omnium fuit *Machiavellus*; quem ſecutus eſt Cardinalis *Reſchlieu* Videri quidem etiam poſſunt *Guazzii Converſationes Civiles*: ſpectant autem potius ad vitam privatam. Hi fere ſunt, quos ego de Ratione Status ſciam ſcripſiſſe. non vero omnes ex profeſſo.

Atque ita audivimus, quinam de Ratione Status aliquid ſcripſerint, & quod illorum

lorum alii illam laudent, alii vituperent: Causam tantæ dissensionis aliam non video, nisi quæ superius tradita jam est; & quod etiam de Ratione Status scripserint, qui nunquam in Rep. fuerunt versati.

Sectio II.

JAm, rem ipsam investigaturi, antequam ulterius progrediamur, ad vocabuli Compositionem accedamus; quæ cuilibet absque dubio, est notissima: utpote compositum ex Voce, *Rationis*, & *Status*.

Voca-

Vocabulum autem *Rationis* varie ſumitur à Scriptoribus Latinis: 1. Denotat partem alteram hominis, nempe, *Animam Rationalem*, & contra diſtinguitur Appetitui. quæ ſignificatio hujus loci non eſt. 2. Apud bonos Autores ſignificat *curam & reſpectum*; uti *Cicero* eo utitur, cum dicit: *Velim Rationem tuæ valetudinis habeas*. Sed neque hæc ſignificatio huc pertinet. 3. *Cauſam*, quare hoc, vel illud, eſt aut non eſt. Et hæc acceptio eſt frequentiſſima, non tamen hujus loci. 4. *Modum*, ſub quo fieri aliquid debet, vel poteſt; ut *Saluſtius in Catilin. Vobis*, ait, *exponam Ra-*

 tionem,

tionem, qua tanta mala effugere posſitis. 5. Denotat *Convenientiam* cujuſlibet rei in ſuo ſtatu, & conditione. Quæ ſignificatio locum hic quodammodo habere videtur; revera tamen non habet. Quoniam igitur apud Veteres plane non occurrit talis acceptio vocabuli *Rationis*, qualis eſt in Ratione Status; hinc a veteribus petenda ea non eſt, ſed aliunde. uti paulo inferius videbimus.

De vocabulo *Status*, jam eadem eſt quæſtio. Sumitur autem varie: 1. Pro *certa* rerum omnium *Conditione*; adeo, ut ad res etiam inanimatas extendatur. 2. Denotat *certos Ordines* homi-

num;

num; uti Status alius est Ecclesiasticus; alius Politicus; alius Oeconomicus. 3. Κατ' ἐξοχὴν, denotat *Formam* aliquam *Reip.* sic Status Monarchicus, Aristocraticus, Democraticus. 4. Sumitur etiam sæpius pro *præsenti facie* rei alicujus. quæ cum prima acceptione ferme coincidit.

Si jam ex his acceptionibus judicandum, quænam huc pertineant; tunc quinta vocabuli *Rationis*, & tertia vocabuli *Status*, acceptio in considerationem veniunt; & talis inde definitio Rationis Status formari posset: *Ratio Status est respectus, sive convenientia Reip.*

Sunt autem Definitiones istæ, ex Notatione nominis, fæ admodum infirmæ. Tum etiam Quinta illa vocabuli *Rationis* significatio non satis huic loco est congrua. Interim tamen hæc, nempe *Rationis Status*, compositio nullibi apud veteres, Latinosq; Scriptores occurrit; ideoque non crediderim esse Latinam vocem; neque posse, sine præfatione, in scripto aliquo adhiberi. Res autem, per hanc formulam denotata, recens non est, neque Veteribus fuit incognita: Nam, quam primum ortæ sunt Resp. simul ac etiam orta est Ratio Status; adeo ut eadem harum sit ætas

tas. posito enim Statu, statim quoque ponitur, quod Statui illi convenit. Hinc sane nullum est dubium, quin res hæc Veteribus fuerit notissima; etiamsi non ita eam expressérint, sed aliis nominibus, in re hac denotanda, usi fuerint.

Creditur itaque hæc Vox primo in Italia nata, & ab Italis orta; qui *Ragione di Dominio, di Signoria, di Regno, d' Imperio, vocant*; & omnium elegantissime, *Ragione vel Ragionamento di Stato:* Gallis, *Raison d' estat*, eodem modo dicitur.

Hanc primus omnium protulit *Johannes Boterus*, quem secutus est *Antonius*

Palazzus; item, *Arnoldus Clapmar. lib. 4. de Arcanis Rerump. cap. 2.* Postea formulam hanc Italicam Latini expresserunt, quibus ea arrisit. Nam ita sunt mores hominum, ut plerumque novitatis sint studiosi.

Nec tamen antiquiores Politicæ scriptores, *Platonem* & *Aristotelem*, arcanorum horum, artiumque penitus ignaros dicere possumus: Nam & *Plato* leviter ea descripsit, & *Aristoteles* produxit, ita tamen, ut velaret. Itali vero nostri arcana hæc Regni, contra quam aut Aristoteles, aut Plato, sine ambage ulla, sine ullo velo divulgarunt: Neque soli ista

scive-

ſciverunt, ſed eliminarunt primi. *Dan. Heinſ. Orat. 20. de civili Sapient.*

Et quemadmodum novi Mathematici, per tubos ſuos, certas in firmamento ſtellas, certas in ſole maculas, etiam veteribus incognitas obſervarunt: Ita quoque Politiciſmus novus ſuos habet Opticos, qui ſcriptis ſuis, veluti certis ſpecularibus, has a Veteribus occultatas Prudentiæ artes clarius obſervandas tradiderunt, inque lucem protraxerunt.

Veteres itaque, uti ſuperius dixi, aliis nominibus Rationem Status protulerunt. *Cicero Ep. 5. ad Q. Fratr.* mentionem hujus fa-

cit,& vocat eam *Vim poteſtatis*, In hac Epiſtola, quæ ſane eſt πολιτικωτάτη, credit *Cicero*, interdum eſſe deflectendum à Iure Publico ſive Communi, & à legibus latis; ſumma nimirum neceſſitate poſtulante, quando Reſp. aliter conſervari non poteſt: atque ſic *Cicero* idem facit *Vim poteſtatis*, quod nos Rationem Status.

Curtius, vitæ Alexandri M. ſcriptor, abſolutam illam poteſtatem, qua utebatur Alexander in illos, quos bello ſibi ſubjecerat, vocat *Jus Regni* Sed hoc non poteſt eſſe Ratio Status. Etenim Alexandro licebant omnia,

quæ

quæ modo cunque placebant; adeoque legibus omnibus erat ſolutus, nec minimis etiam obſtrictus.

Tacitus in Annal. vocat extremam illam poteſtatem *Vim principum, flagitium dominationis*; quæ rurſus multi credunt eſſe ſynonima cum Ratione Status. quod tamen falſum eſt.

Florus propius nonnihil ad rem acceſſiſſe videtur, cum dicit, *Ratio Reip.*

Ariſtoteles lib. 5. Polit. cap. 8. ait δίκαιον πολιτικὸν. Per quas voces quid proprie intelligat, ſibique velit, adhuc ſub judice lis eſt.

Et hæc de ipſa Nominis Notatione, ejuſque origine.

Jam de variis ejus definitionibus.

Sectio III.

Johann. Boterus Rationem Status ita definit: *Ratio Status est notitia mediorum ac rationum, quibus fundatur, firmatur, & augetur Status.* Primo ait, esse *notitiam.* Jam videndum, an sit Notitia. Respondetur quod non: Nam Ratio Status erit sine omni dubio in ipsa forma Reip. In hac autem, tanquam re inanimata, & omnis sensus experte, non potest esse Notitia, siquidem Notitia

tia ſive cognitio præſupponit ſenſum. Et hinc manifeſtum eſt, Rationem Status non poſſe eſſe Notitiam: etiamſi fortaſſis Ratiocinatio circa Statum ſit Notitia. Aliud autem longe eſt Ratio; aliud Ratiocinatio: Nam Ratiocinatio, qua ego delibero, illa eſt in animo, & poteſt eſſe Notitia; Ratio vero, h. e. idipſum, an utile ſit nec ne, non eſt in meo cerebro, ſed in ipſa Rep. Addo, quod Notitia rei alicujus Theoriam ſolummodo reſpiciat: Ratio vero Status ad praxin pertineat, inque ea potiſſimum ſe exſerat.

Porro ait; *mediorum ac rationum, quibus fundatur firmatur,*

matur, & augetur Status. Quæ profecto inconcinna est locutio, & minus bene sese habet: Etenim antequam Status aliquis fundetur & constituatur, non potest esse ulla ejus ratio. quippe cum Ratio sit in ipso Statu. Nihil autem potest esse in re aliqua, nisi res illa sit. Sed quod dicit de firmando Statu, verum illud est. hic enim palmarius Rationis Status scopus est, ut Resp. firmetur ac conservetur; non tamen augeatur semper. Qua de re videri potest *Aristoteles lib. 7. Polit.* Præterea, si hæc *Boteri* definitio vera est, sequetur, nullum inter Rationem Status, & Politicæ scientiam

entiam intercedere discrimen. Nam Politica etiam circa hæc tria, fundare, firmare, & augere Remp. versatur, & occupata omnino est. Argumentor ita: Quodcunque est notitia mediorum ac rationum, quibus Status aliquis fundatur, firmatur, & augetur, illud est Prudentia Politica; Atqui Ratio Status, ex mente *Boteri*, est talis notitia; Ergo Ratio Status est Prudentia Politica. Conclusionem absurdam esse vel inde patet; quod recentiores, qui Rationem Status introduxerunt, discrimen omnino esse voluerunt inter ipsam, & Politicam: Imo credunt Rationem Status esse arcanum, &

secre-

ſecretius aliquid, quo Reſp. regi poſſit.

Ferdinandus ab Effern non meliorem ferme attulit Rationis Status definitionem, in *Manuali* ſuo *Polit. lib.* 1. nempe hanc: *Ratio Status eſt prudentia gubernandi, augendi & conſervandi Remp.* Quæ definitio plane cum priori coincidit, niſi quod omiſerit verbum fundandi: Aſt quod eam vocet Prudentiam, in idem impingit, in quod *Johann. Boterus*: Si enim Ratio Status per Notitiam non poteſt definiri, nec per Prudentiam poterit; cum ambæ ſint in animo. Hoc quidem verum eſt, omnes hodie Status in eo eſſe, ut

Reſp.

Resp. suas maxime augeant & amplificent: Num autem in eo consistat vera Ratio Status, valde dubitatur. Tum in Definitione ponendum est, non quid fiat, sed quid fieri debeat: Deinde Definitiones non sunt tradendæ de iis, quæ fiunt perperam, sed quæ fiunt bene. uti *Aristoteles* monet *lib. 3. Ethicor.*

Supra etiam adducta fuit definitio *Trajani Boccalini*, nempe hæc: *Ratio Status est jus quoddam, principum utilitati serviens, divinis humanisque legibus contrarium.* Quæ tamen definitio Satyrica est, ridicula, & plane absona: Quippe cum Rationem Status

tus faciat normam quandam, ingeniis Magnatum impressam, qua illi pleraſque actiones ſuas ad utilitatem, commodumque proprium unice dirigunt; quibuſcunque etiam viis ac medis finem hunc aſſequantur. **Nec** ſatis video, qua fronte auſus ille fuerit, Rationem appellare, quod contra omnem rationem eſt. nec rectæ rationis dictamen ſequitur, ſed è diametro illi repugnat; qua fronte Rationem Status, quod Statum Reip. non conſervat, ſed perturbat, convellit, & ad ruinam protrahit. Nam cum hujuſcemodi Ratione Status *Babylonii*, aliiq; uterentur, graviter *Jehova*

hova minatus iis est: *Confusus es*, inquit Esai. *cap.* 47. *in malitia tua, & cogitasti, non est, qui videat me; sapientia & scientia tua decepit te. Veniet super te malum, & nescies ortum ejus.* Quin potius monstrum hoc Rationis dici meretur. Sicut enim natura, si, propter indispositam & ineptam materiam, enormiter in formatione corporis aberret, monstrum producit: Ita voluntas, & cupiditas humana, deflectens à rectæ rationis dictamine, sub ejus tamen prætextu, hanc monstrosam Status Rationem effingit; veluti portentum quoddam sanæ rationis. Imo diaboli

hæc

hæc ratio dici magis debet, veluti *Pius V. Pontifex* eam appellavit; quæ ex Tyrannide & atheismo originem ducit. Atque ita talis Ratio Status (si modo Rationis Status nomen meretur) non est vera Ratio Status; sed calliditas impia, fraudulenta, & detestanda.

Arnoldus Clapmar. l. 4. de Arcanis Rerump. cap. 2. Rationem Status ita definit: *Ratio Status est supremum quoddam jus, sive privilegium, bono publico introductum, contra jus commune sive ordinarium; sed tamen à lege divina non alienum.* Cui definitioni quid veri, quid falsi subsit, accuratius nonnihil per-

perpendamus. Primo ait, *esse jus*, & quidem *supremum*, sive *privilegium*: Jam omne Jus est vel Naturale, vel Positiuum. tertium non datur: Jus enim Gentium partim refertur ad jus Naturale, partim ad Positivum. Habemus igitur duos fontes nostri juris, Naturam scilicet, & Consensum hominum: Quicquid nos obligat, id obligat nos vel a Natura; vel Consensu hominum. Si jam Ratio Status est jus; erit vel Naturale, vel Positivum. Non Naturale; cum id non tantum detur in Rebusp. sed inter diversas etiam societates, gentesque, ubi maxime exercetur: Videmus

mus enim dari Jus Naturale inter patrem, & filium; inter maritū, & uxorē; inter dominum, & servum. ubi tamen Ratio Status locum non habet. Et sic Ratio Status non potest esse Jus Naturale. Erit igitur necessario Ius Positivū. sed hoc dicere, implicat contradictionem in ipsius definitione, ubi dicit: *contra jus commune sive ordinarium.* Per Jus Commune sine omni dubio Jus Romanum intelligit, in quo utique multa sunt Jura Positiva; unde sequeretur, Ius Positivum esse contra Positivum, quod est absurdum. Deinde si Ratio Status esset Ius Positivum, lege esset constituta;

quo-

quoniam Ius Positivum est lege sancitum. Sed Rationem Status lege esse constitutam, falsissimum est: Nam ibi demum Ratio Status adhibenda est, & attendenda, ubi leges deficiunt, legibusque Remp. nostram juvare amplius non possumus. Et sic Ratio Status neque est Ius Positivum. Si jam vero neque est Ius Naturale, neque Ius Positivum, tunc plane Ius esse non potest. Si hoc? Ergo neque jus summum, ac per consequens, neque privilegium.

Porro quod dicit in definitione, *contra jus commune sive ordinarium*, effectus potius est Rationis Status: Hæc enim

enim sæpius efflagitat, ut a
Iure Communi nonnihil a-
beamus. Sic habemus le-
gem, *Res Ecclesiasticas non*
esse alienandas: fieri autem
potest, ut Resp. nostra alite
conservari plane non possit
& sic, necessitate id ita postu-
lante, contra hanc legem, re
Ecclesiasticas alienare possu-
mus. Pari modo multa
Proceres Germaniæ superi-
oribus hisce annis admise-
runt contra Ius Commune
alioquin Status conservari
non potuisset. Et sic effe-
ctus potius in definitione ha
exprimitur, quam essentia, et
qua effectus oritur. quod vi
tiosum est.

Denique dicit, *sed tamen*
leg
lim
cer
qu
tio
qu
sun
Le
sun
div
gib
sol
re
pro
duc
ver
cap
Sta
om
deb
leg

lege divina non alienum : Hic limitem quasi ponit, & carceres Rationi Status, quousque illa sit extendenda. Ratio Status omnia admittit, quæ ad Remp. facere possunt, modo non pugnent cum Lege divina. Hinc impense sunt improbi omnes illi, qui divinis etiam, & Naturæ Legibus Principem conantur solvere, ut contra eas statuere possit, dummodo ratione probabili ad id faciendum adducatur.

PalaZZus de Gubernat. & vera Status Ratione, *parte* 4. *cap.* 7. definit Rationem Status *regulam ac normam, omnes res moderantem, & ad debitum suum finem perducen-*

centem. Quæ definitio licet à vero ſenſu prorſus aliena non ſit; generalior tamen & obſcurior videtur, quàm ut Rationem Status Politicam ſatis dilucide explicet, deſcribatque.

Andreas Alciatus dicit, Ràtionë Status eſſe *Relaxationem Juris Civilis*: Et hoc quidem verum eſt; quippe cum propter Rationem Status liceat quãdoq; à Jure recedere. ſed tamen non ideo Ratio Stat. eſt Relaxatio juris.

Noviſſime omnium definivit Rationem Status *Franciſcus Corduba*, Profeſſor quidam Jenenſis; qui dicit, eam eſſe *poteſtatem aliquam Remp. per ſpecialia media*

&

& à Jure Communi recedentia, conservandi regendique. Hic à reliquis omnibus abit, & putat licere Principi interdum à Jure Communi deflectere. Quæ quidem sententia vera est; quamvis non sit accurata definitio hæc Rationis Status: Aliud enim est verum dicere; & aliud rem exacte definire. Competit certe Principi potestas illa, sed propter Rationem Status; quippe quæ prior est illa potestate, & ex qua profluit orituque illa potestas. Et sic Ratio Status non potest esse illa ipsa potestas.

Supersunt adhuc multæ aliorum definitiones; quæ

tamen omnes ex paucis hiſce allatis poſſunt decidi. Etenim plerorumq; definitiones eo tendunt, ut credant Rationem Status eſſe in animo Politici : Alii eam vocant *Prudentiam* : alii *Aſtutiam*. *Ludovicus Septalius* vocat eam *Habitum intellectus practici*. alii vocant eam *Normam in animo Politici inſidentem*. Quæ omnia minus vera eſſe ſatis ex ſuperioribus patebit.

SECTIO IV.

PRæmiſſis jam aliorum definitionibus, inquirendum tandem erit, Quid revera

revera sit Ratio Status; & Quænam sit vera ejus definitio. Res ita se habet: Nulla ars, nullaque disciplina de fine suo, quem sibi propositum habet, deliberat. Sic gubernatori cursus secundus; Medico salus atque sanitas; Imperatori victoria finis & scopus est, & de hoc suo fine nequaquam deliberant illi. sed de mediis tantum, ad finem obtinendum facientibus, sunt solliciti: Ad hunc modum neque Politicus & Moderator alicujus Reip. qui beatam civium vitam sibi habet propositam, (uti propositam certe habere debet) is, inquam, non deliberat, an velit Remp. suam sartam, te-

ctam conſervare; ſed occupatur tantum circa media ad illum finem ducentia. Hinc quoque tota Politica verſatur tantum circa media, per quæ Ratio Status poſſit conſervari; adeoque Ratio Status erit in ipſa Rep. & quaſi medium, per quod Rep. ſive Status ille conſervetur.

In omnibus autem mediis ita res eſt comparata, ut ingens ſit eorum varietas, & hinc in genere ea definire non poſſimus. Non enim ſimpliciter dicere poſſum, hoc eſt bonum: Quippe cum ſæpius, quod huic eſt bonum & utile, id alteri poſſit eſſe malum & noxium, & vice verſa. Ex gr. ſerpentes, aliaque

que venenosa, hominibus maxime nocent; ciconiis tamen sunt saluberrima condimenta. sic, Vivere in aqua piscibus est salutare; hominibus autem mortem infert. Ideoque *bonum, & medium* est aliquid Respectivum, h.e. quod semper respicit illum finem, ad quem obtinendum est destinatum: ita ut hoc sit conveniens medium, si per id ad finem tuum possis pertingere; licet aliis sit forte noxium, & inconveniens.

Haud secus etiam se res jam habet in Ratione Status, & mediis, quibus Status conservatur; modo illa media tibi sint ad propositum tuum finem convenientia, nil re-

fert, etiam si aliis maxime sint noxia, si abilis adhibeantur.

Sed quandoquidem Status sunt diversissimi, media etiam non unius erunt generis, sed diversa. In universum ita est comparatum cum mediis, ut primo aliud Medium, sive id, quod ad finem obtinendum facit, sit revera tale, h. e. ut semper ejusmodi finis per id possit obtineri, Statusque conservari. Et hoc est medium revera tale, vocaturque utile; & habet 4. requisita. 1. Ut revera per illud medium finis propositus obtineri queat. 2. Ut per idem medium finis obtentus possit conservari.

3. Ut

3. Ut Medium illud alia secum non trahat incommoda. Et 4. denique; Ut semper, posito illo medio, non possit non sequi ejusmodi finis. Secundo dantur etiam Media, per quæ finis quidem interdum obtinetur, non ex natura & efficacia ipsius medii, sed forte per accidens; & quoniam per illud finis aliquoties obtentus est, nascitur opinio, quasi semper per illud possit obtineri. Et hæc Media apparenter tantum talia sunt. Tertio sunt nonnulla, quæ hoc tempore revera prosunt, & per quæ finis obtineri revera potest; paulo post autem maxima secum advehunt incommoda,

pluſque tum obſunt, quam profuerunt ante. Et ab his prudens Politicus ſib quam maxime debet cavere. Quarto denique dantur Media, quæ hoc tempore, & in præſens videntur eſſe noxia, quamvis poſtea admodum ſint utilia, & ad finem obtinendum plurimum faciant. Quæ ſpecies hodie dicitur Ratio Status. Hæc ſunt 4. illa Media, quibus Politici noſtri in adminiſtratione Rerump. uti plerumque ſolent ac conſueverunt.

Primum genus eſt omnium optimum; nempe quando adhibetur ejuſmodi medium, quod ſemper facit ad conſervationem Status, &

nun-

nunquam fallit. atque hoc utile dicitur Honeſtum. Hac ratione non male dixerunt *Stoici*; *Nullum honeſtum eſt, quod non ſit utile.* Etenim nihil eſt honeſtum, niſi quod conveniat virtutibus: Et contra, Quodcunque convenit virtutibus, eſt honeſtum; & quam late patent virtutes Morales, tam late quoque patet natura honeſti, & vice verſa. Jam vero omne virtutes tendunt ad conſervationem ſocietatis humanæ, adeo ut, ſi eſſemus extra ſocietatem humanam conſtituti, virtutibus nobis opus non foret, nulliuſque illæ eſſent utilitatis; (non autem intelligenda hic eſt craſſa illa uti-

litas, quæ à vulgo in nummis collocatur, & tantum Utile vocatur) atque ita virtutes sunt instrumenta, per quæ conservatur societas humana, propter quam traduntur Virtutes. Quid enim opus esset Justitia, Temperantia, aliisque Virtutibus, si homines viram agerent solitariam, & cum nemine versarentur? Certe nullum ego earum usum tum video. Ast in Rep. magni profecto sunt momenti; in tantum ut fere omne Reip. & incrementum, & decrementum ab iis pendeat. Ponamus enim omnes in Rep. esse injustos; bone Deus, quomodo societas illa posset conservari? Quilibet alteri

alteri auferret, quod ſibi liberet; nemo tutus eſſet in ſuis ædibus; nemo ſecurus; omnes vim, rapinas, cædeſque exercerent. Rurſus ſi omnes homines eſſent Intemperantes; ſi Veneri, gulæ, omnibuſque corporis voluptatibus pro lubitu operam dare concederetur; Quantæ futuræ eſſent turbæ! Ubi eſſet educatio liberorum? ſine qua tamen Reſp. ſalva eſſe non poteſt. Adeoque tantum abeſt, uti Virtutibus in Rep. carere poſſimus, ut etiam ſine iis Reſp. ſalva eſſe, conſervarique non queat.

Hinc concludo, quo magis aliquid ad Reip conſervationem facit, ejuſq; ſta-

tum conſervandum, eo magis eſſe Utile; & quo magis Utile, eo magis etiam Honeſtum: Contra vero, quo magis aliquid ſocietatem humanam, vel Remp. diſſolvit ac deſtruit, eo magis eſſe inutile, noxium, & inhoneſtum; adeo ut tota natura Honeſtatis ex Utilitate, & quidem vera, non apparenter tali, ſit æſtimanda. Hinc etiam, Quodcunque ad ſtatum aliquem conſervandum, ex ſe & ſua natura, ſemper, & omni tempore facit, illud eſt Utiliſſimum, Honeſtiſſimum, & Juſtiſſimum; adeoque ab omni Politico in Remp. introduci, non tantum poteſt, ſed & debet. Hæc jam Utilitas

litas eſt Ratio Status: Quicquid illa requirat ab aliquo Politico, id licite & ſine ſcelere fieri omnino poteſt.

Sic ſi nunc Politicus in ſua Rep. tulit leges, quibus creder. Remp. poſſe conſervari; poſtea vero videt illas nocere, abrogare illas poteſt, & libere ab iis recedere; imo licite contra eas agere. quod Ratio Status requirit. Leges enim quid aliud ſunt, quam inſtrumenmenta Remp. conſervandi? quare ineptus eſſet Politicus, qui inſtrumentis vellet uti, ad finem ſuum inidoneis. Ex. gr. Nonne ſtultus ac ineptus eſſet faber aliquis, ſi malleum quendam huic, vel

illi

illi rei conficiendæ destinasset, postea videret eum esse ad illud opus inutilem, & tamen non rejiceret, aliumque sibi cõpararet? Pari ratione, si leges Statui tuo non amplius sunt utiles, non tantum servandæ non sunt, sed rejiciendæ etiam. Et hoc est, quod nonnulli dicunt, Rationem Status esse *Relaxationem aliquam Juris*.

Secundum ac Tertium Mediorum genus quod attinet, videntur illa quidem Utilia, revera tamen non sunt, (etiamsi fortassis per accidens ad obtinendum finem faciant) nec per ea Status conservari potest: Plus enim habent detrimenti, quam

quam utilitatis. Sic fidem frangere, interdum quidem videtur utile, revera tamen non eſt; Ex. gr. Eſt Rex, qui cum alio poſt longum bellum pacem fecit, fœduſque iniit: Poſtea videns alterum ab aliis fortaſſis oppugnari rurſus, inque anguſtiis verſari, non modo, ut fieri forte vi fœderis debebat, non ſuccurrit, ſed ſimul etiam ipſum oppugnat; ſperans magnam ſe jam poſſe utilitatem exinde capere, & præteritorum vindictam ita ab eo ſumere. adeoque fidem frangit. Hoc jam videtur ipſi eſſe utile, revera autem non eſt. Nam primo fidem perdit omnem, quæ tam in ma-

xime est necessaria, requiriturque ad Reip. conservationem. *Cicero lib. 1. Offic. Fides*, ait, *est vinculum, quo conservatur tota Resp. quo rupto nec potest Resp. non capere detrimentum* Secundo cogitur is in perpetuo esse timore; scilicet ut alter vires colligat, eumque rursus oppugnet. Certe aliquid acquisivisse, & semper in metu versari, quod alter rursus auferat, non est utile. Totum hoc seculum, ne longius progrediamur, vel altius præteritorum memoriam repetamus, ejusmodi exemplis est refertissimum; imo recentia satis forent in propatulo: Verum quoniam odiosa nimis

mis hæc sunt, nolo tempus iis recensendis & perpendendis insumere. Verissimum manet atque immotum, Omnia, uti superius dictum jam est, imo Jura etiam, ex Utilitate æstimanda nobis esse: Quippe cum tendant ad conservationem societatis humanæ; ad quam, veluti præfixum suum scopum, spectant collimantque.

Et his fundamentis innititur etiam disputatio illa *Platonis* atque *Aristotelis*; An nempe licitum sit scortari, sodomiam exercere, alaque patrare flagitia. Disputabant hi tantum ex Utilitate: *Aristoteles* non quidem negat principia *Platonis*, cum disputat

ſputat contra eum, *lib.* 2. *Pol. lit. cap.* 1. *&* 2. ſed concedit, Quicquid conſervat Remp. ex ſe & ſua Natura ſemper, & omni tempore, eſſe honeſtum. An vero communio uxorum, ſcortatio, & ejuſmodi plura Rempp. conſervent, alia eſt quæſtio & hoc negat Ariſtoteles. Sed hæc obiter.

Quartum denique Mediorum genus fecimus, quæ in præſens valde videntur inutilia, cum tamen in futurum maximam habeant utilitatem. ideoque a Politico adhiberi ea poſſe, certum eſt. Hæc media jam potiſſimum ad Rationem Status pertinent, & circa ea Ratio Sta-

tus

tus cumprimis versatur. Et quia plebs ejusmodi media intelligere non potest, iisque haud raro refractatur; utpote præsentia tantummodo spectans, nec in longitudinem consulens. hinc prudens Politicus omnem debet movere lapidem, ut hujusmodi media plebem celet, atque ita pias ac bonas per fraudes, arteſque eam decipiat. Ex. gr. prudens Politicus, etiam in altissima pace, de armis cogitat; militem conscribit, alit, exercet eum: alii hoc reprehendunt, dicentes, sumptus illos esse fruſtraneos; subditos, nulla de causa, sumptibus ac tributis onerare, injustum esse. quæ tamen omnia

prudens

prudens Politicus non atte
dit. Hinc prætextus aliqu
esse debet, qui plebi sit spec
olus ; sub quo Politicus po
pulo possit imponere, atq
ita, invito quasi populo
Remp. conservare. Has ja
pias licitasque fraudes, & a
tes, hodie omnes plebei vo
cant Rationem Status. Ple
vero annumero, qui non su
vere Politici.

His, ceu fundamenti loco
jactis, ita Rationem Stat
commode definiri posse pu
tamus, Quod scilicet, sit R
*tio quædam boni publici proc
randi, & mali avertendi,
salutem ipsius Reip. etiam
juri vel legibus interdum a
versari, minusque esse Util
prin*

primo intuitu videatur.

Sectio V.

Hactenus de variis Scriptoribus, eorum Opinionibus de Ratione status, ejusque definitionibus; item de variis Utilium ac Mediorum generibus, aliisque: Consequens erit, ut etiam de Artibus Politicis, quarum paulo ante mentionem fecimus, jm agamus. Et quæritur non immerito; An liceat adhibere ejusmodi artes, quibus consilia hominum eluduntur, variisque obducuntur coloribus? Antequam vero

vero ad Quæstionem hanc accedamus, variasque variarum de ea opiniones enodamus, breviter videre lubet, quid Politicum ad hoc inspectet, atque instiget.

Certe si omnes homines perfecta virtute essent præditi, artes ejusmodi inutiles plane forent & inhonestæ, adeoque nullus earum Politico in Rep. usus existeret. Nam per se omnes, si essent boni, h. e. virtute prædita eligerent id, quod Reip. utile. Quia vero plerique hujusmodi minum, vel non intelligunt; vel nolunt intelligere, quid Reip. sit Utile, quid sit inutile; hinc duplex causa existit, quæ Politicum impellit ad eiq

haque ſtimulos addit, ut arti-
varis his utatur : Nempe Ma-
nodia hominum, ac Imperitia
lubrum. quæ profecto multa
e impediunt, maxime alias in
ep. proficua.

ni Quotidiana experientia ſa-
ra, proh dolor! teſtatur, ple-
utiſque homines aut malos
eſſe, aut imperitos ; adeoque
Poeſp regi terme non poſſe,
erdi ejuſmodi artes prudens
eſſe politicus adhibeat : Et, quo-
ediam vi arque armis refrena-
. ut eos periculi plenum eſt,
e hatioque Reip. non permit-
gunt ; hinc via quadam occulta,
qu. e. obliquo & artificioſo
nulexu quodam, gubernandi
xſiunt. Nec enim cætera ani-
ellalia domueris ac rexeris
eiq

ſine

sine aliqua tractatione & arte: Etsi, jure Naturæ, adversus bruta technis uti nobis licet, ut ea mansueta reddamus; Quare non & erga hominem artibus uteremur, *qui* ut *Seneca lib. . de Clementia* loquitur. *nullum animal est morosius?* Sane *Aristoteles* putat hominem esse animal longe magis ferum, quam brutum quoddam: Imprimis, cum *lib.* 1 *Polit cap.* 2 *Hominem*, dicit, *habere naturæ arma, quibus sit munitus*; & sic unum hominem nocere plus posse, quam 20. fortassis leones. Quare majori cum arte tractandus est homo, majoribus technis uti adversus ipsum debemus, quam ad

versus bruta vel bestias fieri solet. Nam sicut in mari, si, adversantibus ventis, portum rectà tenere gubernator neque it, mutata sæpius per artem velificatione, eundem attequi laborat; & equorum domitor, ubi præferocem ac refractarium equum perdomare cupit, non verberibus tantum id agit, sed blandis eundem sæpius demulcet popysmis, aliquid porrigit avenæ, pluribusque in eo mansuefaciendo utitur artificiis: Sic Populus quoque ab eo, qui Reip. clavum tenet, prudenter ac artificiosè tractandus est; utpote quovis Bucephalo ferocior, quovis turbulento mari turbulentior.

Sufficiant hæc de Causa Impulsiva harum Artium; quid ninirum Politico ansam præbeat ad utendas ejusmodi artes. ipsumque ad id tantum non cogat. Jam ipsas hominum Opiniones hac de re perlustrabimus.

Sectio VI.

Sunt nonnulli ex Gentilibus, qui credunt ejusmodi artes plane esse illicitas. *Cicero* eleganter admodum in sua *pro Cælio*, *Unicum*, inquit, *tantum esse iter, quod ducat ad Virtutem, & ab eo nequaquam esse declinandum.* Idem in *lib. 3. de Natura deor.*

deor. Rationem bono consilio à diis immortalibus nobis datam, in fraudes convertere, nefas est. Lib. 3. *Offic* ita inquit: *In tota nostra vita nihil simulate, nihil insidiose, nihil fallaciter agendum est.* Et ipse tamen *Cicero* nihil aliud per totam suam vitam fuit, nisi simulator. Si jam hanc sententiam teneamus, statim apparet, omnes artes Politicas esse illicitas, neque adhiberi posse: Per illas enim haud raro à tramite recti cogimur deflectere; neque rigidos semper & severos esse Catones nobis tum licet. Hinc ista *Ciceronis*, de fraudibus dicta, non de vita publica, sed privata dun-

taxat, intelligenda ſunt.

Ariſtoteles, qui Magiſter eſt omnium artium Politicarum, & ex quo, ceu fonte, omnes Politici ſuam hauriunt ſapientiam; ipſe, inquam, *Ariſtoteles lib. 5, Polit.* ait, *per fraudes & dolos regna everti* Si hoc? Ergo à Politico adhiberi certe non debent; Quippe qui conſervationi Rerump ſtudet, non autem deſtructioni. Sed intelligit *Ariſtoteles* iſtic, *per fraudes ac dolos*, impias illas: tq; illicitas fraudes, quas & nos rejicimus ac deteſtamur: Non vero bonas illas, pias licitaſque.

Multi ex adverſo ſunt, & quidem longe plures, ex

Gen-

Gentilibus, qui aperte fatentur, artes illas non tantum illicitas non esse; sed licere etiam, ac requiri pro conservatione Reip. Sic *Salustius in Catilin. Nihil*, ait, *gloriosum, nihil justum, nisi quod conducit dominationi retinendæ.* Ast considerandum hic est ævum illud *Salustii*, quod tulit Imperatores omnium nequissimos; uti *Neronem*, & ejus farinæ plures. *Nero*, bone Deus, quibus utebatur sceleribus ad conservationem suæ dominationis! Ne dicam jam de vitiis privatis, incestu, adulteriis, quibus ille totus fere coopertus erat. Honestum ipsi videbatur, viros innocentes, & de Rep.

bene meritos è medio tollere; civibus bona eorum eripere: imo nullum fermè scelus inausum reliquit. Hinc *Salustius*, non ex sua, sed Imperatorum mente, ait, omnia, quæ fiunt imperii causa, esse honesta.

Seneca in Thyest. itidem ex Tyrannorum mente, loquitur: *Ubi tantummodo honesta licent, precario regnatur*; h. e. si non omnia Regnantibus licent, sed ea tantum, quæ legibus sunt comprehensa, Regnum est precarium.

Nemini ignota forsan sunt, quæ *Julius Cæsar* dixit; nempe, *Si violandum est jus, regnandi gratia violandum est.*

eſt. Et violavit etiam jus, cum Romæ primus inſtitueret Tyrannidem. Huc jam pertinent omnia inſtituta Tyrannica, quæ recens harum artium Magiſter, *Machiavellus*, aliique enumerant. Nullum certe eſt ſcelus, quod non admittat Tyrannus ad ſtatum ſuum conſervandum. Tyrannus, qui apud *Epicharmum* inducitur, ita dicit: *Ego ſum, qui ſcelera committi veto; ego ſum Magiſter legum, & autor omnis Furis*: Adeoque credebat, ſe fontem eſſe omnis Juris, & quicquid diceret, vel ageret. ſtatim eſſe juſtum; nihil injuſtum ab ipſo proficiſci poſſe.

Fuerunt quoque, qui mediam tenuere sententiam : Hi neque omnes artes Politicas repudiârunt, neque omnes admiserunt etiam ; sed distinxerunt inter homines, adversus quos ejusmodi artibus sit utendum. Quorum sententia videtur esse Optima.

Primo omnium hæc sententia est *Ciceronis*, qui *Epist. 2. lib. 2. ad Attic.* concedit, posse adhiberi ejusmodi artes adversus homines improbos ; adversus probos ac simplices, non item. Idem, *pro Roscio*, ait : *Quandoquidem plerique moralium ex fraudibus, malitia, & injustitia fere constant ; hinc quoq; consilia nostra his sunt accommodanda*

modanda. alias Resp. salva esse non potest. Adéoque si homines ita sunt callidi ac mali, ut certo sciamus, illos magnum malum nostræ Reip. esse acceleraturos; tum excogitandæ sunt artes, quibus propulsare eos possimus. Hinc *Cicero pro Planco: Resp. est quasi orbis quidã, in quo nos omnes stamus; si jam vertitur, aut mutatur ille orbis, debemus nos in illam partem inclinare, sine qua salvi esse non possumus.* h. e Omnes nostræ actiones eò sunt dirigendæ, ut salva sit Resp. licet interdum à trunite recti justique nonnihil discedamus.

Tacitus in Vita Agricol.

ait: *Ille demum prudens Vir est, qui miscet utilia honestis.* Utriusq; Politicus debet esse tenax, & honesti, & utilis; scilicit quod revera tale est.

Plutarchus in Vita Lysandri ita hac de re loquitur: *Ubi Leonina pellis non pertingit, ibi Vulpinam assuere oportet.* Certe, si vi defendere se quis non posset, fraude agendum id esse omnino putat.

Cum hoc convenit etiam *Pindari* illud; *Semper laudatus Vir est, fiducia referens animum Leoninum, graviter frementem in discrimine; in consilio Vulpes.*

Christiani videntur abire ab hac sententia, & dicunt nullam plane fraudem esse adhi-

adhibendam, nitentes dicto *Christi : Sit sermo vester amen, amen ; non non :* h. e. Quicquid dixeritis, ex animo dicite, & non simulate; si creditis rem affirmandam esse, affirmate; si negandam, negate. *Paulus* ait : *In omnibus sectamini veritatem, nec mendacia admittite; hæc enim non sunt opera Spiritus.*

Nota est *Augustini* sententia, qui credit omnia in universum mendacia esse peccata. Sunt autem mendacia triplicia : Officiosa; Jocosa; & Turpia sive Noxia. Mendacium Officiosum voco, quod fit in gratiam alicujus, quem ob injusta vi servare volumus. Ex. gr. fit

Tyran-

Tyrannus, qui amicum meum quærit ad internecionem; ego illum occulto: Tyrannus dicit, ubi est amicus ille tuus? Ego nego me scire, ubi sit. quod est mendacium Officiosum. Et hæc omnia credit *Augustinus* esse turpia, ac peccata. Quod si verum est, sequitur, Nullas prorsus artes esse licitas.

Verumenimvero non videtur hæc fuisse mens *Christi*, cum diceret: Estote sapientes, ut serpentes; & simplices, ut columbæ. Cogimur interdum vivere cum hominibus improbis & astutis; & hinc Christus requirit aliquam mixturam: Primo prudentiam serpentum, ne

decc-

decipiamur ab aliis, simusque insipientes. Ne vero existimemus Christum velle, uti simus vafri ad decipiendum, statim corrigit hoc, & addit, nos debere esse probos ac simplices, sicut columbæ. Atque sic aliquas adhibendas esse artes Christus non vetat; sed hoc vult, nos neminem debere decipere. Distincta vero sunt, aliquem defraudare; & aliud dicere, aliud postea agere. Ex. gr. Medicus ægroto propinat medicamen aliquod: ægrotus illud recusat, inque ejus locum forte vinum postulat: Medicus dicit se daturum; exhibet autem ipsi medicamentum aliquod, vinum lo-

rem referens. hic certe Medicus aliud dicit, aliud tamen sentit & agit. Creditisne tu jam id esse peccatum? Minime. Ast, si diceret ægroto, vinum esse, & propinaret venenum, tum utique peccaret. Posterius igitur Christus prohibet; non prius. Certe si omnes artes essent prohibitæ ac illicitæ, omnes Politici æternum damnarentur.

Et tantum etiam de Opinionibus variorum, tum Gentilium, tum aliorum etiam, de Artibus iis, quibus Ratio Status innititur; & sine quibus Ratio Status exerceri non potest.

SECTIO.

Sectio VII.

Quandoquidem res est & magni momenti, & periculi etiam plena, artes illas paulo ante dictas in Rep. adhibere, plurimum referet eas nosse, & bene posse distinguere; Quænam, scilicet, sint licitæ; Quænam illicitæ.

Dividi itaque artes illæ haud incommode possunt in tres Classes, & quidem ita, ut Prima Classis sit earum, quæ leviter abeunt ab honestate ac Virtute; Secunda illas comprehendat, quæ longius à jure, virtute, ac honestate

ſtate recedunt; Tertia denique illas includat, quæ longiſſime abeunt à virtute, & in ipſiſſima ſcelera, vitiaque degenerant. Nulla vero ars Politica erit, à *Statiſtis* adhiberi ſolita, quæ non poſſet referri ad aliquam harum Claſſium: Pro quarum diverſitate, aliæ artes erunt licitæ; [illegible] licitæ; aliæ [illegible] Politicos ã [illegible] non [illegible] ſed [illegible] adhæreant, [illegible]

etiam ſceleratiſſimarum cognitio Politico quin ineſſe debeat, nullum eſt dubium. Hinc eſt, quod dici ſolet; Nullum eſſe ſcelus, quod non ſit cognitum Juris Conſulto, aut Politico. quod veriſſimum eſt.

Diſtinxi paulo ante Artes Politicas in tres Claſſes: Jam quamlibet harum accutius nonnihil perpendemus.

In prima Claſſe colloco Diffidentiam, & Diſſimulationem. Jam Diffidentia Virtuti non adeo convenit; utpote cum Fidei, quæ ſpecies quædam eſt Virtutis, opponatur, atque ita nonnihil à Virtute abeat: Interim tamen homini Politico, qui

Reip.

Reip. præeſt, per eſt neceſ-
ſaria; adeo, ut ſalvus ſine e
ferme eſſe non poſſit.

Seneca, paſſim in ſuis ſcri-
ptis, requirit in Politico, u
nihil credat, niſi quod in ocu-
los incurrat, & quod maxi-
me ſit manifeſtũ. Omni cert
tempore nihil magis nocui
Rebuſp. quam credulitas:
Qui enim facile quorumlibe
hominum relationibus credit,
aut ipſe decipitur; aut aliis,
illis inciratus, infert injuriam.
Tum plerique mortalium
ſunt ſimulatores, qui aliud
ore promunt, aliud corde
premunt: His autem indiffe-
renter habere fidem, hominis
eſſet non ſimplicis, ſed plane
ſtulti.

Hoc

Hoc quidem lubens ego concesserim ; si omnes essent aperti pectoris, & ingenui candoris, (quorum certe magna est penuria) ingens vitium tum fore Diffidentiam. *Cicero* non minus vere, quam eleganter, *Ep. 2. ad Q. Fratrem*, *Multis*, ait, *simulationum involucris tegitur, & quasi velis quibusdam obtenditur uniuscujusque Natura : frons, oculi, vultus persæpe mentiuntur ; oratio vero sæpissime.* Nullum igitur vitium est simulatione frequentius, à qua, & ipsam colentibus ut tuti simus, maxime requiritur Diffidentia.

Epicharmus hac de re ita loquitur. *Vigila, memor sis, nemini quicquam credas : Et hi*

hi sunt nervi prudentiæ. C
adstipulatur *Euripides*; est
in ea opinione, quod sapien
Diffidentia nulla res sit mel
or, atque utilior mortalibus
Non autem ita crasse hac d
re sentiendum, quasi omn
bus in universum sit abdican
canda fides, sine ulla excep
one: sed accurate hic distin
guendum, quibus habenda fi
des; quibus non. Sane quo
rum candorem fidemqu
longo tempore perspeximus
illis non modo fidem no
denegare, sed tribuere etiam
omnino debemus.

Hinc claret, & luculente
videre est, quam sit res neces
saria Politico, diffidere inter
dum: Imo Diffidentiam,

præ-

præsertim prudentem illam, in homine Politico, Reip. clavum moderante, virtutis loco non posse non habe-

Ast, quoniam ingenium humanum ita est compara-tum, ut quisq; sibi velit cre-di, & se pro fido censeri, cum tamen nequam forte sit in rute; &, si animadvertit fi-dem suam vocari in dubium, adeoque insimulari vitii, ira-catur, deque vindicta sit sol-licitus: Hinc magna cum cautione versandum est in Diffidentia, eaque Politico omnibus modis occultanda. *Seneca Ep. 3. Multi*, ait, *fal-lere docuerunt, dum timent falli.* h. e. si adeo evidenter

alis

aliis diffidas, ita ut illi senti-
ant te ipsis diffidere, infideles
tibi efficiuntur; licet fideles
quodammodo tibi ante fue-
rint. Quapropter Politicus
fronte, oculis, vultu, & ser-
mone etiam (si necessitas id
effingitet) ferre præ se debet,
quasi omnibus credat; eti-
amsi nemini forte quicquam
Qui autem hoc facit, ille ek
Dissimulator. Et hinc est,
quod Diffidentiam ac Dissi-
mulationem conjunximus,
hancque juxta cum illa neces-
sario in Politico requiri po-
suimus; ita ut illa sine hac
plus Politico possit afferre
detrimenti, quam commodi
& utilitatis.

Probari hæc multis posse
locis

ocis, tum ex Sacra Scriptu-
ra, tum ex Seculari etiam hi-
oria petitis, nemo non vi-
et: Legimus *lib.* . *Samuel*
ap. 10. quod, quum *Saul*
ge retur in Regem Judæo-
um, neque ortus tamen esset
x familia adeo nobili, (lon-
e enim nobiliores ac illu-
riores aderant inter popu-
um Isr ëlitic.) multi ipsum
to supercilio contempse-
int. *Saul* tamen, tanquam
rudens Politicus, voculas
as audire se dissimulabat;
quamvis graviter ipsum
mordebant: Etenim non e-
rat tutum ejusmodi voculas,
ab initium Regni, pœnis
statim coërcere; sed com-
modius expectandum tem-
pus.

pus. *Davidem* etiam, cum fugeret *Absalonem*, & lapidibus peteretur à *Simei*, idem fecisse, constat nobis ex 2 *Samuel. cap.* 16.

Tiberius, identidem dicere est solitus, se unicam tantum callere virtutem, qua possit servare Regnum. Cum vero sæpius interrogaretur, quænam illa Virtus esset, tandem respondit, Dissimulationem esse. Eadem fuit *Friderici* 1. . sententia, qui persuasissimum habebat, Neminem scire Regnare, nisi sciret Dissimulare.

Hanc jam Dissimulationem possumus, in bonum finem, absque peccato adhibere; sed in vita publica, non in

in privata. Nam privatis hominibus præſto ſunt Judicia, quorum ope omnes illorum injuriæ ſopiri poſſunt; adeo ut opus non habeant ejuſmodi uti Diſſimulationibus: Verùm inter Rectores ac Gubernatores Rerump. qui ſummam obtinent Majeſtatem, judiciis locus non eſt. gladius iſtic eſt judicium, ſi Tranſactionibus locus non datur.

Hæc fere ſunt, quæ pertinent ad Primam Claſſem: Nempe Diffidentia, ac Diſſimulatio.

Sectio VIII.

In Secunda Classe colloco Conciliationem, & Deceptionem.

Conciliationem voco, quãdo quis muneribus præmiisque alicujus Majestatis ministros ad se allicit, ut ex illis arcana illius Majestatis expiscetur; adeoque eorum proditione ad suam utatur utilitatem. Hac arte hodie nihil est frequentius; præsertim in vita aulica: Cujus si quis paulo est peritior, facile mihi fidem habebit.

Veteres arte hac frequenter admodum fuisse usos, plus

plus satis videre est ex historiarum monumentis. In historia *Curtii* de Vita *Alexandri M.* ut & aliorum Thuanum, innumera ferme occurrunt exempla. *Daniel Heins. Orat.* sua, quam habuit sub auspicium lectionis Politic. demonstrat, *Philippum*, Macedonum Regem, hac arte totam fere *Graciam* sibi subjecisse. Sane ipse *Philippus* sæpius dicere fuit solitus, *Nullam arcem esse inexpugnabilem, in quam modò asinus auro onustus posset ascendere.*

Huc jam pertinent omnes Proditiones, quæ hodieque creberrime fiunt: Nihil enim tam est sanctum, tam justum, quod pecunia viola-

ri non possit; præsertim ab iis, qui de Resurrectione mortuorum contemptim sentiunt, veluti sunt *Athei*; qui ultimis hisce temporibus, & in hac mundi fece uberrime, quasi herba irrigua, succrescunt, & quorum messem jam licet, proh dolor! metere maximam.

Est autem ars hæc Conciliandi sibi alterius ministros improbior, longiusque à tramite Virtutis atque honestatis recedit, quam Diffidentia & Dissimulatio. Nam allicit homines, sive ministros alterius ad perjurium, & facit eos frangere sacramentum, quod suis dominis dixerant: Juraverant se fideles

deles fore, incommoda à Dominis averſuros; quod violant. Non immerito igitur in dubium vocari poteſt, an artes ejuſmodi ſint licitæ, adeoque in Rep. adhibendæ?

Et arbitramur poſſe quem hoſtes ſuos licite hac ratione circumvenire, illorumque miniſtros corrumpere, ut eorum ope, aut perveniat in hoſtis loca munita, aut etiam aliud quid extorqueat. Si enim, Jure Naturali, ac Gentium, ab hoſte capto tormentis arcana extorquere licet; Quare non & muneribus ea exſculpere liceret; utpote cum ſit via minus violenta? An vero Conciliatione hac

uti nobis etiam adversus eum liceat, qui hostis non est, major dubitandi ratio occurrit. Certe arcana alicujus nosse, & secretissima consilia, valde noxium est illi, cujus ea sunt. Accedit etiam, quod si per ministros alterius, qui hostis non est, arcana expiscamur, ministri fiant perjuri, & nos illius perjurii simus causa. Ergo non videtur eam adversus tales, qui hostes non sunt, adhiberi á nobis posse.

Interim sic dico: Si probabilis sit metus, quo credimus læsos nos iri ab illis, quorum ministros corrumpimus, illudque eos agitare, quo nocere nobis possint; tum, inquam, Jure Naturæ licitum

licitum eſt, ut ea, quæ mala ſunt, à nobis deflectamus. & hac ratione Corruptio, vel Conciliatio, non erit illicita. Quod ſi vero abeſt ejuſmodi metus, illicita prorſus eſt, dupliciterque câ peccamus: Primo enim contra Jus Naturæ eſt, damno afficere innocentem: Secundo, Vinculum, per quod Reſp. continentur ac conſervantur, tollitur; nempe Juramenta, & Sacramenta.

Aſt fieri etiam poteſt Conciliatio per fæminas: Quam artem *Feſuitæ* egregiè callent. Nam ſi forte a Viris illuſtribus arcana omnia explorare non poſſunt; mulieres eorum adeunt, & omnem

movent lapidem, ut à fæminis & uxoribus illa expiscentur, quæ à viris ac maritis earum rescisscere nequiverunt. Harum rerum exemplis tum vetus, tum recens historia satis est referta.

Eustratius Nicenus, qui in *Ethicam Aristotelis*, & quidem omnium optime, commentatus est; is, inquam, *Ethicor. lib. 9. cap.* 1. in hac est sententia: Posse aliquem licite peccare & cum Tyranni alicujus uxore concumbere, ut arcana ejus expiscetur, atque ita Tyrannus supprimatur. de quo tamen ego valde dubito. Et vehementer fallitur noster *Eustratius*, dum credit *Aristotelem* etiam hu-

hujus fuisse opinionis; posse, scilicet, inhonesti aliquid admitti, ut inde eveniat bonum. *Aristoteles* ponit in Graco textu vocabulum αἰσχρὸν, quod non significat aliquid inhonestum, turpe, & moraliter malum; sedquod à gravitate alicujus paululum discedit. Et hoc, ex mente *Aristotelis*, admittere quidem licet, modo magnum aliquod bonum inde consequamur: Quod vero *Eustratius* intelligit, non item. Unicum hunc errorem si demas *Eustratio*, neminem invenies, qui accuratius in *Aristotelem* fuerit commentatus.

Hactenus de Conciliatione & Corruptione, tum quæ fit

per miniſtros; tum etiam, quæ fit per fœminas.

Quod ſi vero miniſtri alicujus adeo ſint fideles, ut fidem ſuam muneribus præmiiſque corrumpi non patiantur; inte ſit tamen Majeſtati, alicujus arcana noſſe: Tum ſupereſt alius adhuc modus, qui vocatur Decepio. Hic modus creberrimus etiam eſt in omni fere Statu.

Plato lib. 3. de Rep. vult, Omnes imperantes debere crebro mendaciis ac fraude uti; ſed ad ſubditorum commodum. Eodem libro expreſſe ait, *Poſſe imperantes mendacia bonis immiſcere, velut Medicus venenum immiſcet pharmacis.*

Pli-

Plinius Junior in *Epistolis* suis, *Decipere*, ait, *pro moribus temporum, prudentia est*. Non tamen crediderim prudentiam esse; sed calliditatem potius. Ejusdem opinionis *Diphilus* quoque est, qui existimat mendacium nihil habere incommodi, si salutis causa proferatur.

Plutarchus in Vita Lysandri ita hac de re loquitur: *Verum falso quidem melius est; sed tamen utriusque dignitas ac præstantia usu discernitur*. hoc vult: Si potes ad finem tibi propositum pervenire ejusmodi actionibus, quæ [illegible] præ se ferunt ac ve[illegible] [illegible] melius id quidem est, q[illegible] eundem per [illegible]-

sum

sum pervenias: Si vero hoc non licet, tum dispiciendum est tibi, quidnam sit utilius. si mendacium aut falsum tibi est utilius, falsum quoque vero tibi erit præstantius; & vice versa. Adeo ut *Lysander* falsum & Verum ex Utilitate & dignitate æstimet.

An jam autem hæc quæ sunt gentilia, veritati & doctrinæ Christianæ conveniant, alia res est. Exstat *Proverb. cap.* 8. *Abominationi Domino est omnis eluſor*; h.e. mendax. sic ut, qui sciens volens decipit, non tantum peccet, sed abominationi quoque sit Domino. *Ecclesiast. cap.* 7. ait: *Noli uti ullo mendacio: turpis enim est ejus frequentatio.* Di-

Dicis: Hæc ſunt intelligenda de hominibus privatis, non de iis, qui in Rep. vivunt; uti ſunt Reges, & Principes. Reſpond. ex *Proverb. cap.* 28. ubi expreſſe de Principe additur: *Non decent ſtultum verba compoſita; nec principem labium mentiens.*

Dixi ſuperius, pleroſque Eccleſiæ Doctores, & inter eos *Auguſtinum* cumprimis, omne damnare mendacium; adeoque non licere nobis Chriſtianis mentiri: Utpote cum vita noſtra longe aliter ſeſe habeat, quam gentilium. illa enim in cælis eſt; horum vero in terris. Et hinc cavendum, ne, dum ter-

ram

ram defendimus, amittamus cælum. Imo *Augustinus* dicit; *Ne quidem pro laude Dei mentiri nos debere.* Si hoc? Certe neque in Rep. mendacium vel falsum crit committendum: sed exterminanda prorsus ex ea Deceptio.

Verùm hic temperamentum est adhibendum: Non repugnaverim ego, mendacia in universum omnia illicita quodammodo esse, ac peccata; sed tamen aliud alio minus. Tam mendacia æstimanda undique sunt ex fine, propter quem fiunt. Deinde etiam respiciendus est hominis mendacis animus, an ioco, & ex quadam mentis

ria; an vero coactus fuerit mentitus. Quæ tria si observaverimus, facile rem expedietmus. Mentiri ob finem malum, turpissimum est, & peccatum mortale: Mentiri, nulla efflagitante necessitate, etiam peccatum est: Mentiri vero ob insigne aliquod bonum, (v. gr. ob salutem totius Reip.) & quidem non sponte, sed ingenti necessitate id postulante; hoc, inquam, peccatum quidem est, non tamen adeo magnum. Itaque, si hæc duo concurrunt: Primo, finis bonus; secundo, summa necessitas. tum excusabile est ejusmodi mendacium; & à Magistratu fieri quovis tem-

tempore licite potest.

Porro si, ipso Deo Ter. Opt. Max. jubente, istiusmodi Deceptionem, vel mendacium (quod vocari potest honestum & Officiosum) adhibuerunt olim alii: Quare non & hodieque idem cuivis liceret Majestati, summa id exigente necessitate?

Notum est illud *Samuelis lib.* 1. *cap.* 16. Quum novus & primus Rex Israelitarum, *Saul*, regnum non administraret, prout placebat Deo, mandabat Deus Prophetæ *Samueli*, ut alium, & quidem *Davidem*, ungeret in Regem. *Samuel* excusare se volens, ait. Quum si *Sauli* nuncietur, me novum crea-

re

te Regem? Certe è medio me tollet. Ad hæc Deus: Non dicas aperte, te velle alium creare Regem; sed sume vitulum, & dic te velle sacrificare, atque ita sub specie sacrificationis, populo convocato, *Davidem* filium *Isai* in Regem ungito. quod & factum. Hic certe verba & res non conveniebant; sed erat mendacium honestum, ac necessarium. Sane, si tale mendacium simpliciter esset illicitum, adeo, ut nunquam adhiberi debeat, Deus non jussisset id *Samueli*. Hinc necessitas, & intentio boni finis excusant: Et potest mendacium ejusmodi ob ingens aliquod bonum, & quidem

dem cogente summa necessitate, committi. Quare rectissime *Plato* in suis *de Rep. libb.* ait, *admittendum esse aliquid interdum in parvis, ut magna serventur.*

His jam Classem Secundam, in qua Conciliationem, ac Deceptionem posui, claudo, & dico: Quotiescunque ingens aliqua ingruit necessitas, ita ut humana ratione extricare te non queas; & si id fit ob magnum aliquod in Rep. bonum, licite has Secundæ Classis artes posse adhiberi.

SECTIO

SECTIO IX.

TErtia denique Classis continet artes scelerassimas, quibus gentiles quam maxime sunt usi. & earum duo summa capita sunt, Perfidia, atque Injustitia; scilicet Universalis illa, quæ est complexus omnium criminum. Has jam artes omni tempore in Rebusp. regnasse, quis non videt? imo, Status quamplurimos per sanguinem innocentium stabilitos esse, & vetus, & recens testatur historia. Sane ipsa Judæorum Regna sine sanguine nec parta, nec extincta

ſtincta quoque ſunt: Quam multos enim interficiebat Salomon? Sed hujus fortaſſis alia eſt ratio, neque pertinere huc videtur.

Interim eò, proh dolor! res devenit, ut fœderum ſanctitas, juris jurandi Religio, & pactorum conventorum fides, (quæ inter bonos firmiſſima ſunt vincula) inter malos, oblata commoditate, ad fallendum ſint retia: Hodieque, uti *Nicolaus Uzanus* Florentinus apud *Machiavell. lib. 4. hiſtor. Flor.* conqueritur, ſic ſimus comparati, ut juſti vel injuſti exigua habeatur ratio. Nec apud noſtros Pſeudo-politicos fides aut verba, aut ipſa juramenta

menta aliquo in numero
unt : Jurisjurandi enim re-
gionem objicientibus, cum
erfidis *Mediolanenſibus* illi-
o reſpondebunt; juravi-
mus quidem, ſed juramen-
um attendere non promiſi-
mus.

Idem *Philippum*, Macedo-
um Regem, feciſſe autor eſt
Juſtinus lib 9. hiſtor. Hic
urejurando, veluti moneta
ublica utendum cenſuit, pro
Regum regnorumque com-
modo; amicitiaſque utilita-
e colendas, non fide. Ejuſ-
dem farinæ *Lyſander* fuit, qui
ide data ac juramentis luſit
aud aliter, quam pueri aſtra-
ulis. Hinc etiam *Plutarchus*
n Vita ipſius dicit : *Pueros*
nucibus

nucibus quidem circumveniri mos est; sed viri circumveniuntur juramentis.

Alexander V. Pontifex nunquam alicui fidem servavit, omnesque callidítate sua fallere consuevit: Non sinceritas in eo, non pudor, non veritas, non fides, non religio; sed insatiabilis avaritia, ambitio immoderata, crudelitas plus quam barbara. Hinc de eodem, & filio ejus *Valentino*, in Romana curia ortum est proverbium: *Pontificem nunquam, quod diceret, facere; Valentinum vero nunquam, quod faceret, dicere: ac utrumque id unum pro summa religione persuasum habuisse, fidem omnibus*

dar-

dari oportere, servandam ne mini. Guicciard. lib 1. & 5. histor. Bodinus lib. 5. de Rep. cap ult.

Julius quoque II. Pontifex, se fædera & societates cum Gallis, Germanisque (quos barbaros appellavit, ipse Barbarus) non aliud, nisi fallendi causa, contrahere jactabat.

Ad eundem sensum *Wenceslaus* quidam *Meroschwa*, (quisquis tandem fuit) scripsit. *Totus mundus suco utitur: Cum vulpibus vulpinandum est. Pueri nucibus, viri juramentis fallendi sunt. Nec infame est, jurisjurandi religionem violasse. Fecerunt hoc nostri Principes: Nos ca-*

rieres

riores habebunt, si non modo pro eis patiamur, & belligeremus; sed etiam pejeremus. Dum crepundia vendunt institores, simulant, mentiuntur, pro asse pejerant: Et nos id non faciemus pro Regnis & arcibus? Faciemus; & quidem libenter.

Certe si quis hodiernos nostri ævi mores considerare velit, idem hodieque fieri reperiet. Etenim ubinam quæso servantur fœdera? Ubinam jurisjurandi habetur ratio? Meritò cum *Plauto* in sua *Aulularia*, ingeminare nobis licet; *Novimus, quomodo illi perplexarier solent: Pactum non pactum est; non pactum pactum est, prout illis lubet.* Ast

Aſt quam turpe ſit, cum aliis omnibus, tum Principi cumprimis Viro, ſemper mentiri, fidemque fallere, quis non videt? Imo jus jurandum, pacta ſcripto ſancita violare, fœderaque ſine graviſſima aliqua cauſa rumpere, ingens eſſe ſcelus omnes uno ore teſtabuntur.

Quod ſi vero jam Perfidia illicita eſt, eâque uti nobis non licet; multo minus injuſtitia adhiberi poterit: utpote cum ſit complexus omnium vitiorum, ſceleumque; & ex qua, tanquam prima ſcaturigine, omnes deleratæ artes reliquæ caterratim profluunt. Nihilominus frequentiſſime illa

passim terrarum adhibetur; præsertim in *Hispania*, ubi nihil eâ est frequentius. Nam si Rex istic videt aliquem suo Statui vel Regno esse noxium, omnibus modis id agit, ut è medio tollatur: Si apperte fieri nequit, clanculum res peragitur; supponuntur falsi testes, mittitur in inquisitionem, & sic bona ipsius ad fiscum deferuntur.

Julius Cæsar egregie artem hanc & calluit, & exercuit etiam. Quamprimum enim videret, quendam suo statui esse noxium, statim subornabat aliquos, qui clanculum eum è medio tollerent. Vel, si mitius agere animus erat

erat, ablegabat eum ad exteros; aut bello præficiebat, ut occideretur.

Et hoc est dogma illud, cujus Magistrum plerique hodierni Politici *Machiavellum* faciunt, in quem ea propter quam acerbissime invehuntur: Quod tamen illi ipsi, si non verbis, certe facto & reipsa comprobant; talesque, qualem *Machiavellus* se palam professus est, esse malunt, quam videri.

Utut autem vulpinam *Lysandri* pellem, & bonum, uti vocatur *leg.* 1. *Paragr.* 3. *de dolo malo.* dolum, non in totum rejicimus, ita Perfidiam tamen & Injustitiam merito abominamur: Et

cum *Platone*, Fidem ac Juſtitiam fundamentum ſocietatis humanæ; Perfidiam vero & Injuſtitiam certiſſimam ejuſdem peſtem, eſſe putamus: Nullamque rem continere vehementius Remp. quam Fidem; nec, remotâ Juſtitiâ, Regna aliud eſſe, niſi magna latrocinia. Uti egregiè hac de re diſſerit *Plato lib. 5. de Legibus.*

Et tantum etiam de Tertia Claſſe, quæ artes comprehendit omnium ſceleratiſſimas. quarum ſumma capita Perfidiam, atque Injuſtitiam fecimus. Hæ artes, quàm non ab humanitate tantum, ſed omni etiam pietate prorſus ſint alienæ, & hinc quo-

que

que illicitæ, ipſe Codex ſacer teſtis nobis eſt locupletiſſimus: Adeo, ut non ſolummodo animus noſter ab ejuſmodi factis; ſed aures etiam à commemoratione eorum, debeant abhorrere.

Sectio X.

HActenus de tribus illis artium Politicarum Claſſibus. in quibus, quænam artes ſint licitæ; quænam minus licitæ; & quænam prorſus illicitæ, ordine percepimus: Conſequens eſt, ut rem hanc exemplis nonnullis, è Codice ſacro petitis, illuſtremus; ordinem in iis adducendis eum

servantes, quem ipsa Sacra Scriptura nobis suppeditabit. Atque ita initium faciemus à libro *Josuæ*, ubi multa inveniuntur stratagemata, quæ culpanda non sunt, sed toleranda atque licita. Nam si istic reperiuntur artes quædam Politicæ, & stratagemata, quæ Deus non tantum non improbavit, sed jussit etiam atque imperavit, illicita illa esse nequaquam poterunt: sed salva conscientia adhiberi à nobis posse, quis non affirmaret? Et hinc accurate illorum stratagematum differentia cognoscenda est.

Differunt autem illa tripliciter: 1. Sunt quædam, quæ Deus

Deus ipſe vel imperavit & juſſit; vel, ſi non juſſit, toleravit tamen. 2. Sunt nonnulla, ob quæ Deus quidem pœnam hominibus inflixit, ſed exiguam. 3. Alia denique reperiuntur, quæ Deus maxime improbavit; imo abominatus eſt, uti loquitur Scriptura. Priora illa, nullum eſt dubium, quin tuto ac licite poſſint adhiberi. Quæ ſecundi ſunt generis, etiam adhiberi quidem poſſunt, ſed non niſi inſigni quadam neceſſitate cogente, idque ob ingens aliquod bonum. in quibus tamen magna cum cautione eſt verſandum. Ultima demum illa, quæ ſunt tertii generis, nunquam & ob nul-

lum finem licent, quicunque tandem is sit; sive sit gloria Dei, sive Religio, sive salus Reip. vel etiam salus propria: In his enim locum habet dictum illud *Paulinum*; *Non sunt facienda mala, ut inde eveniant bona.* & *Aristotelis* illud, *lib. 3. Ethicor. Sunt nonnulla, quæ admitti non debent, licet mors sit oppetenda.*

Ne vero hic eandem crambem recoquere videamur, haud incommode hæ tres Stratagematum species ad priores illas, de quibus paulo ante dictum est, artium Politicarum Classes referri, iisque accenseri poterunt. Nimirum, ut primam speciem ad

Pri-

Primam Classem, secundam ad Secundam, tertiam ad Tertiam etiam Classem rejiciamus. Jam ipsam aggrediemur historiam.

Sectio XI.

Libro *Josuæ cap.* 3. narratur, quod *Josua* miserit Exploratores in illas regiones, quas jam jam debellaturus erat. Exploratores illi primum ingressi sunt *Jericho*, & venerunt in domum *Rachab* meretricis, quæ subdita erat Regi Jericho, adeoque sacramento ipsi obstricta: Nihilominus tamen

exploratores Israelitici ad perjurium eam sollicitant, ut nempe mulier ipsis nuncia-ret, quomodo populus in *Jericho* adversus populum Israeliticum sit animatus; an sit armatus, nec ne; an sit timidus, nec ne. Mulier ad hæc, omnes in metu esse dicebat, & circiter velle desperare. & hoc populum Israeliticum reddebat animosiorem. Postea ubi Rex *Jericho* exploratores istic advenisse resciscerer, misit ad mulierem hanc, sibique exploratores hos trad-i postulavit. Quid mulier? Illa Regi viros adesse negabat, & abiisse jam constanter affirmabat. adeoque per hoc me-

meretricis mendacium, ac proditionem, salvi illi manserunt atque incolumes. Neque hoc tantum; sed dimisit etiam illos mulier per muros, ipsisque viam commonstravit, ne deprehenderentur ab illis, quos Rex miserat ad insequendos, capiendosque hos exploratores. Hoc facto mulier egit contra suum Regem, cui sacramento erit devincta: Et tamen incitata illa ad id fuit à Viris piis, & à Deo missis. Nihil enim *Josua*, nisi instinctu ac mandato divino, peragebat.

Ex hac historia primo jam apparet Exploratoribus omnino nobis ubi licere, ut & proditoribus: Non ta-

men

men, nisi adversus hostes, & à quibus ingens nobis imminet periculum; & si alio pacto periculum id effugere nequeamus.

Dicis: At mulier hæc forte peccavit. Respond. quod non. uti ex *cap. 6.* ejusdem libri videre est. Nam Exploratores, reversi ad suos, *Josuæ* nunciant, quid ipsis contigerit; quo pacto ope meretricis *Rachab*, ejusque proditione fuerint servati. *Josua* cum illis ascendit, urbem oppugnat, expugnat, omnesque delevit, exceptâ tantum *Rachab*, cum suis cognatis & amicis; propterea quod exploratores abscondiderat, illisque arcana & secreta

creta istius regionis detexerat.

Nota est lex illa: *Quodcunque devotum est Domino, non potest redimi.* Et tamen *Rachab*, quæ in Urbe hac *Jericho* Domino devotâ habitabat, in proditionis & absconsionis virorum præmium, vita donabatur. Unde claret eam non tantum non peccasse, sed etiam bene ac pie fecisse. Ne attingam, quod Spiritui Sancto eam Genealogiæ Christi inserere (non sine mysterio) placuerit.

Probe tamen hic & accurate notandæ sunt circumstantiæ; quibus multum est tribuendum: *Rachab* enim noverat omnes gentes popu-

lo

lo *Israelit.* debellandas esse; hinc credebat nihil absque jussu divino fieri. cui magis obtemperandum erat, quam hominibus. Ast si quis hodie in Rep. aliqua ejusmodi proditores & exploratores vellet celare, non certe id foret extra peccatum; neque posset hic quisquam exemplo *Rachab* sese excusare: quippe cum non esset certus de evidenti jussu divino. Interim exploratores illos extra peccatum fuisse, & hodieque adversus hostes adhiberi posse, non est quod dubitemus.

Cap. 9. ejusdem libri *Josuæ* narratur fœdus, a *Gibeonitis* cum *Josua* initum. No-

verant *Gibeonitæ*, omnes gentes traditas esse à Deo Ter. Opt. Max. in manus populi Israelitici : Metuentes igitur & ipsi hoc periculum, ad *Josuam*, fœdus cum ipso faciendi gratia, adveniunt. Ne vero *Josua* sentiret ipsos esse ex *Palæstina*, simulant se ex longinquis venire regionibus : Sumunt panem situ corruptum, vinum macidum, vestesque induunt laceratas ; quo *Josuæ* eo facilius, ex longinquo se venire, persuaderent. Hi, ubi *Josuam* accedunt, fœdus cũ eo inituri, dicit *Josua* : Si non hac in terra habitatis, libenter vobiscum fœdus pangam. Respondent illi ; Non : Ecce

enim

enim res noſtras itinere longinquo atque gravi corruptas, panem ſqualidum, vinum macidum, veſtes calceoſque laceratos; adeo ut vel hinc animadvertere poſſis, nos è remotis ac longinquis venire regionibus. His perſuaſus credit ipſis *Joſua*, fæduſque cum iis facit. Poſtea vero, de deceptione certiores facti, haud immerito omnes Iſraelitarum Duces dubitarunt, An fædus initum ſit ſervandum, nec ne?

Sane ſi ſtricte *Joſua* cum iis agere voluiſſet, rumpere fædus illud omnino potuiſſet: Nullum enim pactum firmum eſt, niſi id fiat conſenſu ab utraque parte. Jam vero

ero à parte populi Iſraeliti-
i (utpote à *Gibeonitis* de-
epti) conſenſus videbatur
eeſſe : Imo ipſe *Joſua*, ſub
ac quaſi conditione, fœdus
iverat; *Niſi habitarent in*
alæſtina. Verùm largi-
ur hic *Joſua* aliquid pruden-
entiæ humanæ, iiſque vitam
ondonat. Attamen ne frau-
em hanc omnino inultam
rrent, fœdus quidem à *Jo-*
ua ſervatur, ratumque ma-
et; ſed nihilominus aliquam
ænam ſubire cogebantur :
Nimirum, ut aquam ſubmi-
iſtrarent, ligna finderent,
iaque præſtarent ſervitia.

Hinc jam colligo, in ſum-
a neceſſitate licere ejuſmodi
ttes; quamvis non ſint pla-
ne

ne ſine peccato : Et referenda eſſe hæc ſtratagemata ad Claſſem Secundam; quibus Deus pænam quidem infligit, ſed tamen exiguam.

Lib. 1. *Samuel. cap.* 9. & 10. *Saul* mittitur à patre ſuo, ut quærat aſinas amiſſas. Hic, ubi aſinas non invenit, Prophetam *Samuelem* adit, ut ex ipſo reſciſcat, ubinam eſſent aſinæ, quas amiſerat. *Samuel*, antea à Deo admonitus, *Saulem* clam populo in Regem ungit, ipſique jubet, ne cuiquam verbum ullum hac de re faciat. Tandem *Samuel* convocat populum Iſraeliticum, verbo quidem, ut ſacrificaret; reipſa tamen, ut *Saulem*, jam in Regem

em unctum, populo exhibe-
et. Et hæc erat Dissimula-
io. Populo jam convoca-
o ac congregato rem expo-
it, & dicit se velle nunc po-
uli desiderio satisfacere,
Regemque ungere. Quam-
is autem *Saul* jam tum erat
nctus: nihilominus *Samu-*
lita rem proponit, quasi vel-
et exquirere, quemnam
Deus eligeret in Regem;
ortemque jacit super Tri-
us. Sors tribui *Benjamin*,
& quidem *Sauli* obtigit. In-
rim *Saul* vafro ac prudenti
onsilio, ne in Regnum sese
velle ingerere videretur, con-
ventui non aderat: Omnia
simulabat; abit domum, &
in ea se abscondit, modò ut

Po-

Populo inferret opinionem invito sibi ac nescienti hæc accidisse. Populus consulit Dominum, ubinam esset Rex futurus *Saul*? Respondet is, domi suæ se abscondidisse. unde etiam, quasi invitus, postea fuit protractus.

Posteaquam nunc *Saul* ad Regiam hanc dignitatem esset evectus, filii *Bélial* incipiunt ipsum despicere; utpote nobiliori genere familiaque orti. *Saul* voculas earum se audire dissimulabat, videns non fore tutum, si sub initium Regni statim hæc vindicaret; inque commodius tempus ultionem rejiciens, clementem potius se præbe-

re

quam maxime laborabat. Hìc profecto *Samuel*, & *ul* admodum dissimulave- nt. sed tamen in bonum hem. Et hinc licite Dissi- ulare in Rep. nos posse, tra omnem dubitationis am longe est positum.

Quomodo porro *Samuel à* eo missus fuerit *Bethlehem*, *Davidem* in Regem crea- rit, superius jam dictum , ex *cap.* 16. ejusdem hu- s *lib.* 1. *Sam.* Quæ histo- a certe est elegans; jam- e in ea pergemus expli- nda.

David à *Samuele* unctus Regem, adsciscitur postea aulam *Saulis*, & quidem caneret Psaltria, ad pro-

pul-

pulsandum malum spiritum, quo *Saul* vexabatur. Erat autem *David* plenus gratia divina; & *Saulo* bellum gerente cum *Philistæis*, *David* prostravit *Goliathum*, quo ipso magnam sibi conciliaverat autoritatem; adeo ut viri omnes ac mulieres ipsum judicarent fortissimum, clamantes: *Saul* 1000, *David* 10000. percussit. & hinc *Saul Davidi* erat infensus. Rex enim aliquis non potest ferre, ut subditorum alicui major, quam sibi ipsi, honor tribuatur. Cum igitur *David* floreret, & jam magis magisque crescceret, metuebat sibi *Saul*, fore ex contemptu illo, ut ipse Regno

no dejiceretur. Hinc insidiis *Davidi* struebat, mortemque ei inferre cogitabat. Videns autem rem esse periculi & turbarum plenissimam, si aperto Marte, vel vi ipsum aggrederetur, clanculum rem peragendam censebat; neque commodius id fieri posse putabat. quam si ipsi filiam suam in matrimonium daturum se promitteret. Hoc facto firmiter sibi persuasit *Saul*, *Davidem* existimaturum, se à *Saulo* impensius amari, neque esse, quod sibi ab ipso timeret. atque ita commodam tandem se velle, sub specie amoris, *Davidem* tale quid non opinantem necandi occasionem nanciscì.

Verum

Verùm *Saul* promissis non stat: Cum enim tempus adesset concumbendi, alii viro filiam dedit. Et hæc pertinent ad Tertiam Classem; & quidem Perfidiam.

Deinde ne *Saul* videretur se promissa exequi nolle, alteram filiam *Michal* ipsi despondet, & quærit ex eo, *an illa ipsi placeat.* Ad hæc *David: Placet quidem. Sed ego sum pauper, tenuis ac obscuræ sortis homo, neque munera* (uti tum temporis Israë irarum mos erat) *afferre ei queo.* Hoc arridebat *Sauli*, & dicebat: *Ego munera non curo, modo mihi afferas centum præputia Philistæorum.* Nam cogitabat *Saul*, occi-

sum

sum prius iri *Davidem*, quam hoc efficeret. Et hoc erat callidissimũ stratagema; sed injustissimum juxta. Interim *David*, divina gratia adjutus, affert centum illa Philistæorũ præputia; adeoque filiam *Saulis*, *Michal*, accipiebat.

Saul videns id non procedere, alia fraude rem aggressus est. Invitabat *Davidem*, ut Psaltriâ caneret; & sic hastâ transfigere ipsum volebat: *David* autem hæc animadvertens, ictum declinatione corporis evitabat, atque ita aufugiebat.

Repleta sane est historia hæc ejusmodi stratagematibus impiis, atque illicitis, ad Tertiam Classem pertinenti-

bus: Unico hoc tantum excepto, quod *Michal*, uxor *Davidis*, in salutem fecit mariti. Nam postquam *David* aufugerat, *Saul* percussores mittit ad domum *Davidis*, ut eum istic occidant. Michal percussores antevertit, taleque excogitavit stratagema: Primo *Davidem* per fenestram dimittit, ut fuga sibi consulat; deinde sumit statuam pellibus caprinis indutã, lectoq; *Davidis* imponit, & dicit maritum ægrotare. Percussores postea advenientes non *Davidem*, sed statuam duntaxat in lecto reperiant, *Saulique* omnia hæc nunciant. Pium profecto hoc erat stratage-

ma,

ma, & à *Saulis* stratagematibus prorsus alienam: Quare non in Tertia, sed Prima artium Politicarum Classe, ponendum est, ac licite imitandum.

Porro *David* exul venit ad Sacerdotem *Achimelech*, & mentitur ipsi: Interrogatus enim ab *Achimelech*, quid sibi vellet, quod ita solus veniret, cum tamen Dux esset Israëlitarum, respondet; Rex me misit, & secreti quid in mandatis dedit, adeoque non opus magni Satellitum caterva. Plura hac de re, & quomodo panem sacrum comederit, gladiumque Goliathi ab *Achimelech* extorserit, legi pos-

ſunt apud *Samuel. lib.* 1. *cap.* 21. Hîc *David* non ſolum ſimulavit, ſed etiam decepit.

Deinde *David* venit ad Regem *Gath*. Jam vero *David* omnibus Philiſtæis erat notiſſimus, non tantummodo ob inſigne illud facinus, quod in necando Goliatho patraverat; ſed multis etiam de facie notus: Statim igitur Regni Primatibus *Davidem* adveniſſe nunciatur. Quo audito vehementer ſibi *David*, ſuæque vitæ metuebat: Itaque ut mortem effugeret, ſimulabat ſe furere, omneſque furioſi hominis geſtus exprimebat. Hoc erat iterum ſtratagema callidiſſimum; neque tamen

extra

extra omne peccatum: Committitur enim hic à *Davide* mendacium, non verbale, ſed Reale, quod verbali multo eſt gravius. Et tamen faciebat hæc omnia *David* non alio fine, niſi ut mortem effugeret; adeoque ſumma neceſſitate coactus, maluit admittere nonnihil, quod ab honeſtate paululum recederet, atque fide, quàm vitam prorſus amittere. Hæc jam *Davidis* ſtratagemata, uti etiam pleraque ipſius alia, partim ad Primam Claſſem, nempe Simulationem & Diſſimulationem; partim ad Secundam, nempe Deceptionem pertinere videntur. Et hinc licite hodieq;,

magna id exigente neceſſitate, & ut ingens effugiamus malum, imitari à nobis poſſunt.

Poſteaquam diu jam in Eremo fuiſſet *David*, regreſſus tandem eſt ad Regem *Achis*, eique, neſcio quo rationum pondere, perſuaſit, ſe eſſe ipſius amicum. Et hîc *David* magno rurſus utitur ſtratagemate; quod nobis tamen non temere licebit. Cum enim *David*, unde vitam ſuſtentaret ſuam, non haberet amplius, irruit in alias gentes, depopulatur eas, prædamq; aufert; omnibus occiſis, ne forte ſupereſſent, qui facinus hoc proderent: Hoc ſæpius diuque agitabat;

neq;

neque, etiamsi à Rege interrogatus, verbum hac de re faciebat; sed in Judæos irruisse se semper affirmabat. Neque *David* hic peccavit; quamvis nos, si idem conaremur, summe peccaremus: Habebat enim ille peculiarem causam; utpote non ignarus, quod omnes gentes in manus populi Israëlit. essent traditæ. ideoque jure illos omnino potuit occidere.

Videbatur quidem contra Jus Naturæ, & valde iniquum esse, alterum sine causa lædere; imo, quod majus est, necare: Sed facilis est responsio; nimirum, Lædere aliquem, qui nullum tibi intulit damnum, juben-

te Deo, (uti *David* fecit) non est contra Jus Naturæ. Nam si Deus Juris Naturæ est autor, uti certe est, quare non & pro summa sua, qua pollet, potestate dispensare de eo posset? Et si Magistratui Civili eximere nonnullos ex Obligationibus licet, ita ut nihilominus regulariter obligentur reliqui, cur non & Deo eandem concederemus potestatem?

De Hispanis, & quo rationum prætextu illi sua in *America* exercita homicidia conentur excusare; & num bene vel male factum ab ipsis sit, jam non dixero. Interim si hodieque nobis de re tali evidenter ex Sacris constaret,

staret, non dubitaverim, quin licite tum etiam *Davidis* factum imitari possemus; neque peccatum fore, si ejusmodi licitas & justas actiones alios tum celaremus.

Porro; Eousque jam *David* persuaserat Regi *Achis*, ut crederet, *Davidem* fidum suum esse amicum, ipsumque in aciem adversus Israëlitas educere non dubitaret. Quod tamen factum fuisset admodum imprudens; & cui recte contradixerunt Satrapæ Regis, prudentissime conjicientes, ac dicentes: Fieri potest, ut nos in ipsa acie conflictus à tergo invadat, nobisque sanguine populi sui favorem sibi reconciliare

ciliare allaboret. Et feciſſet id quoq; *David* ſine omni dubio: Nunquã enim adverſus populum Iſraëliticum, cujus jam Rex erat unctus, bello pugnaſſet.

Rex *Achis*, Satraparum ſuaſu, *Davidi* mandat, ut domum abeat, neque contra Iſraël pugnet. *David* ait Regi; quid in ſervo tuo inveniſti, quod contra fidelitatem egerit? Et hoc certe ſumma iterum erat ſimulatio.

Oblitus ferme eſſem egregii iſtius Stratagematis *Jonathæ* ac *Davidis*, cum *Saul* occaſionem quæreret *Davidem* interficiendi. Moris erat, ut omnes Regis Princi-

pes

pes ac Primates, (quibus merito quoque annumerabatur *David*) singulis Calendis, cum Rege mensæ simul accumberent: *David* autem certus de morte, quam Rex ipsi inferre meditabatur, rogabat *Jonathan*, ut absentiam suam excusaret; posteaque Regis animum, atque responsum ad hæc, sibi significaret. quod etiam *Jonathan* fecit elegantissimo Stratagemate; uti prolixius legere est *lib.* 1. *Sam. cap.* 20.

Videbatur hic *Jonathan* committere aliquid contra Regem, & quod maximum, contra Patrem: Pietatem vero erga Parentes violare, grande est peccatum. Verum

rum facile ad hæc reſponderi poteſt: *Jonathan* enim videbat, in omnibus actionibus Deum *Davidi* adeſſe; Deoque magis obediendum ſemper, quam hominibus; ſcilicet Regi vel Patri. Ne tamen *Jonathan* ab hominibus ac Patre videretur fidem rupiſſe, & propterea in odium Patris incurreret, modus ipſi aliquis erat excogitandus, quo hoc ſuum factum celaret.

Denique adferri huc etiam poteſt exemplum illud juvenis, diadema *Saulis Davidi* deferentis; Ubi merito quæri poſſet, An juvenis iſte mortem promeritus, juſteque à *Davide* fuerit occiſus?

de

de quo valde dubito. Interim Ratio Status *Davidem* variis rationibus compulit, ut juvenem illum interficeret: Nam quoniam multi ex populo Israelitico *Sauli* adhuc adhærebant; hinc *Davidi* omnibus modis cavendum erat, ne gaudium ex morte *Saulis* cepisse videretur. Præcipua tamen ratio, quam *David* præ se ferebat, hæc erat; quod juvenis ille occidisset Unctum Domini. An jam vero juvenis hic moraliter peccaverit, nec ne, pertinet ad forum Ethicum, neque mei instituti est, prolixius eâ de re hic disputare.

Hæc sunt, quæ pro re nata adje-

adferenda duxi. Reperiuntur quidem adhuc plura alia in sacro codice, præsertim in libb. *Josuæ*, *Samuelis*, & *Chronicor*: Verum his paucis perceptis, reliqua omnia facili negotio intelligi atque dignosci poterunt, quænam licita scilicet sint, & imitanda; quænam non.

Multa Deus jure dominii sui Universalis fecit, quæ tamen hominibus imitari non licent. Sic Deus interdum puniit Parentes per liberos; quod nobis propterea imitandum statim non est.

Interim nullum fere scritum est, (excepto *Aristotele*, qui Politicam ex professo tractavit) in quo plura habeantur

beantur Politica, quam in his ipsis. Quare quilibet Politices studiosus diligenter scripta illa, juxta cum eruditis Commentariis, legere debet; sed magna cum attentione, magnoq; cum delectu ac judicio.

Et tantum de Artibus Politicis. Nunc ad ipsam Rationem Status regrediemur, & sic finem Dissertationi huic faciemus.

SECTIO XII.

VIdimus hactenus varias, de Ratione Status, Variorum Opiniones, & definitiones:

finitiones: Quomodo ab aliis culpari, ab aliis laudari ſoleat ac commendari; & tandem, quid illa revera ſit, quanam in re conſiſtat; & quod etiam apud Iſraelitas in uſu, neque à Deo improbata fuerit. adeo ut nullum ſit dubium, quin res ſit licita, & ab omni impietate aliena. Imo ſi Remp. regere, eamque conſervare, peccatum vel ſcelus non eſt, neque Ratione Status uti ſcelus erit: Poſito enim ſtatu, requiritur etiam ac ponitur Ratio Status; utpote quaſi medium illud, per quod Status eſt conſervandus.

Quoniam vero Status non ſemper eſt unius modi, ſed alius

lius Rectus, alius Malus; & hi rursus diversimode se habeant. hinc etiam Ratio Status non omni tempore uniformis, sed alia Recta, alia Mala erit. Et hæc est illa, quam supra, ex *Atheismo* ac Tyrannide ortam, vocavimus.

Interim certum est, & extra omne dubium positum, omnes artes, quæ ad Remp. ejusque faciunt conservationem, licitas omnino esse; modò non Deo, Justitiæ, atque Honestati è diametro repugnent. Quid iniqui illi & rigidi Censores de eo judicent, perinde est; neque ob iniquorum iniquam censuram ipsæ quoque artes fient iniquæ. Ne-

Nec tamen adeo simplex quis erit, ut crediderit, omnia propter Remp. sine ulla exceptione, licere; neque alia aliis esse magis minusve licita, vel illicita. Certe omnia admittere, hominis foret impii ac scelesti: Omnia deinde rursus rejicere, nihilque prorsus eorum adhibere, hominis esset simplicis & plane stulti.

Faceſſant igitur hic ad *Platonis* Remp. seu Utopiam *Mori*, rigidi isti ac severi Catones, qui Remp. pessumdare, quam de stricto suo supercilio, vel digitum transversum, discedere malunt: Faceſſant ii superstitioſuli, qui hanc administrandæ

Reip.

Reip. & Status Rationem, tanquam divinis Legibus & Honestati minus consonam, damnant ac detestantur. Qui, quanto nimia pietate (nolo enim dicere, superstitione) excellere cupiunt; tanto nos illis, Reip. communisque salutis amantiores videri volumus: Et quantum illi de Jure Civili, atque æquitate dimicant, tantum nobis de salute populorum atque incolumitate lubet decertare.

Claudam, finemque Dissertatiunculæ huic imponam dicto illo Nicephoriano, *lib.* 3. *histor. Eccles.* ubi rectissime juxta & pereleganter dicit: Ii qui in una Dei cognitione omnes collocant cogi-

cogitationes, his montes & ſpeluncæ conveniunt. at, qui cum Virtute ac pietate, civilem etiam vivendi rationem edidicit, & notitiam ſibi comparavit rerum variarum, ille, vere Populum ad optima ducere, idoneus eſt æſtimandus.

CON-

CONCLUSIO.

ET sic tandem propositi nostri telam perexi-mus; non quidem ignari, fusius hæc omnia, & magis speciatim tractari potuisse: Nempe si, quo pacto Ratio Status in omnibus formis Rerump. earum conservatione singulisque rursus Conservationum capitibus, vel modis, in specie locum habeat; & secundum eam fieri in iis quid debeat, aut dicatur, prolixius explicare animus fuisset. Ast ne Dissertatiuncula hæc justam excederet molem; tum etiam, quoniam spe-

ſpecialia illa peculiari cuidam Tractatui reſervare libitum eſt, diutius materiæ huic in præſens non immorabimur: Sed, ſi Deus (quo ſi ardentiſſimis ab ipſo precibus deſideramus) vitam ſuperſtitem, vireſque ingenii juxta ac corporis conceſſerit, peculiariter Tractatu aliquo ea de re ſpeciatim magis diſſerere, & pro tantæ materiæ dignitate prolixius etiam illa peragere, omnino pollicemur.

Interim hæc, quaſi viam ſubſecuturis munientia, pro re nata in medium ſufficiat attuliſſe.

FINIS.

ERRATA.

PAg. 2. lin. penult. *lege* humanifique. Pag. 15. lin. 12. *lege* contemnendi. Pag. 21. lin. 20. *lege* Ferdinandus. Pa. 23. lin. 10. *lege* Reclilieu. Pag. 28. lin. 3. *lege* factæ. Pag. 48. lin. 9. *lege* Rationem. Pag. 69. lin. antepen. *lege* quibus. Pag. 82. lin. 5. *lege* scilicet; lin. 11. *lege* potest. Pag. 140. lin. 15. *lege* eorum. Pag. 142. lin. 6. *lege* prostraverat.